
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

D. O. M. A.

PASCHALIA.

Hoc eſt,

De

RESURRECTIONE

Dom. & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, Ejus antecedentibus, typis, figuris, Connexis, Conſequentibus, effectis, & ſimilibus,

EXERCITATIO SCHOLASTICA Singularis.

Varias qvæſtiones Theologicas, Chronologicas, Hiſtoricas, Philologicas, ac ſimiles, breviter & Scholaſticè evolvens ac repræſentans.

AVTHORE

HENRICO NICOLAI,

Phil. & Theologo, Apud Gedanenſes Profeſſore.

DANTISCI:

Typis Viduæ GEORGII RHETII exſcripta,

Anno à partu Virginis Matris, M. DC. XLVIII.

PASCHALIA.

Hoc est,

De Resurrectione Domini & Salvatoris Nostri JEsu Christi,

EXERCITATIO

Singularis,

Quæstionum quarundam brevem & Scholasticam elucidationem de eâ continens.

THESIS I.

PASSIONALIA *excipiunt* PASCHALIA, Festa Resurrectioni Salvatoris Nostri in Ecclesiâ consecrata. Mortem namq; in Christo secuta est vita, interitum Resurrectio, Tristitiam lœtitia, pugnamq; grandis de Vniversis hostibus excepit Victoria. *Absorpta est Mors in Victoriam, euersus infernus in potentiam, expiatum peccatum in sempiternum, Chirographum deletum in perpetuum.* Maledictio sublata, Sathanas spoliatus, damnatio destructa, pax reducta Resurrectione Christi est. Ubi jàm mors, *victoria tua? Vbi, inferne, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est. Virtus verò peccati lex. DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum Nostrum* JESVM *Christum, ex Ose.* 13. *v.* 14. *&* 1. *Cor.* 15. *v.* 54. *Seq.* Hujus *Victoriæ* meditatio resurrectione partæ, non minùs utilis & proficua nobis est, ac *Passionis*: Jubet enim Scriptura recordari JESUM *Christum resurrexisse ex mortuis,* 2. *Tim.* 2. *v.* 8. Ac Spiritum Christi in Prophetis non passiones solùm, sed & gloriam Christi prædixisse *Petrus* ait 1. *Pet.* 1. *v.* 11. In quâ primus gradus est *Resurrectio.* Resurrexit enim ter-

tia die secundùm Scripturas, 1. *Cor.* 15. v. 4. Et ùt flos campi noster Christus concussus, conculcatus, contritus, passione est: Ita virtute Solis, potentiâ propriâ, *Joh.* 2. v. 19. majore gloriâ, refloruit. Floruit nascendo, defloruit patiendo & moriendo, refloruit resurgendo. Ipse etiam Christus Iohannem prostratum metuq; exsanguem resurrectionis suae mentione inprimis erigit, *Apoc.* 1. v. 18. Et Apostolus in eâ universam Spem Christianorum defigit, ut sine eâ inanem praedicationem, fidem, exspectationem, ac liberationem censeat, miserrimosq; nos mortalium existimet, 1. *Cor.* 15. v. 14. *seq.* Cum ergò *in Passionalib.* hebdomadam Servatoris nostri *paenosam* & calamitosam in illis, quae ei contigerunt, discusserimus: Ordo excipientium se gestorum *& gloriosam* discurere jubet, in quâ primum sibi locum vendicat *Resurrectio.*

2. Usitatâ nobis methodo progrediendo, *Resurrectio Christi* primùm *quantum ad praecognitionem* spectari queat, *Ubi quaeratur, An fieri debuerit? An verè facta fuerit? Ubi & quot modis consideretur?* *Quà primum*, negant fieri debuisse, quotquot passionem Messiae negant, ut Judaei. *V.* *Passion. t.* 2. Contrarium ex Prophetiis & typis resurrectionis V. T. constabit, de quib. *t.* 7. 8. *seq.* *Quà secundum*, negant factam esse omnes, qui passionem verè factam negant, *V.* *Passional. t.* 2. *SemiJudaisantes*, quorum Promachus *Seidelius* fuit, *de quo c. l. t.* 12. Etsi mortuum eum & crucifixum fateantur, â mortuis tamen unquam resurrexisse negant, sed in morte mansisse dicunt, Spectrumq; aliquod speciem ejus repraesentans discipulis, hominibus plebeiis & credulis, apparuisse, qui postea famam de resurrectione ejus sparserint; Cui adhuc hodiè â multis credatur. *V. Seidelium in Epistolis ad Caetū Cracoviensē & Socin. ap. Socin. in fragment. libri de adoratio. Christi p.* 208. *seq. Et in Epist. Socini, Ac Jac. Martini L.* 3. *d. trib. Eloh. C.* 65. Contrarium ex antecedentibus ejus, vaticiniis, & typis V. T. de eâ, de *quib. t.* 7. *sequ. & consequentibus*, ut variis Christi resuscitati apparitionibus, miraculis, conversatione per 40. dies, & ipsorum hostium Christi, militum Romanorum & Pharisaeorum, pecuniâ milites ad mentiendum corrumpentium, *Matth.* 28. v. 11 12. testimoniis euidentissimè patet. *Quà tertium*, spectatur resurrectio Christi *vel ut actus quidam divinus*, quo corpus mortuum in vitam revocatur. Sic in L. C. sub omni-

poten-

potentiâ DEI vel actib. DEI externis adduci solet; *Vel ut gestum quoddam* verè in Christo locum habens, sic ad historiam Evangelicam & Eccesiasticam, tanquam pars aliqua ejus, pertinet: *Vel ut Thema* accidentale singulare, Logicè per membra sua convenienter pertractandum, Sic in Logicis & praxi Logicâ tractari soleat. Ita in *Gymnasio Logico Keckermanni* inter alia themata & resurrectio Christi Logicè pertractatur *T. 1. Op. p. 596. seq. Vel ut materiam* variarum quæstionum & circumstantiarum sufficit, quà varia *Teologicè, Philologicè, Historicè, Physicè*, & similiter de eâ quæri & ventilari possint. *Sic hic maximam partem disceptandi argumentum futura est.*

3. Ita *Præcognitione visâ, in cognitione nominis* ob ambiguitatem nonnulla perlustranda erunt. *Resurrectio quasi* iterata quædam statio est, & vel activè vel passivè sumitur. *Activè* pro actu resuscitantis; Sic est ab eo, qui resuscitat, qualis hic DEUS Pater & Christus ipse, ejusq; divinitas est, de quo *t.* 29. 30. *Passivè vel impropriè* sumitur, pro causâ & authore resurrectionis ac vitæ, quomodo Christus resurrectio & vita dicitur, *Iohan. 11. v. 25. Photiniani* etiam ascensionem Christi notare volunt, *Rom. 8. v. 34. & Ephes. 1. v. 20. Vt Smalcius in exam: 157. error. p. 12.* Sed citra necessitatem; cum propria significatio optimè ibi locum habeat, & aliàs articuli fidei de resurrectione & ascensione confundantur: *Vel propriè*, pro corporis Christi è morte in vitam regressione. Ita *hic* sumitur. Dicitur etiam Resurrectio Dominica, Vivificatio Christi. Interdum *resuscitatio*. Quanquam magis propriè hæc resurrectionis causa est.

4. *Nomine viso*, priusquam res ipsa in membris suis distinctè pertractetur, *definitio* ejus præmittenda est, ut quid hic voce intelligatur, exantè constet. *Resurrectio Christi est resurrectio, quâ Christus Deus homo tertiâ die à mortuis in vitam virtute Patris & propriâ, secundùm Scripturam carnem suam depositâ omni mortalitate & infirmitate, reduxit, verum Messiam & Sathanæ victorem se ostendit, ac opus salutis nostræ consummavit.* Ex genere *Resurrectio* dicitur, quomodo in complexis simplex terminus genus complexi esse solet, ut corpus album est corpus, homo doctus est homo. *Resurrectio autem est ejusdem numero corporis, quod obiit, in vitâ iterata quædam statio.*

Cætera *ad differentiam* pertinent, & ex subjecto, Causis, fine, & effectis desumpta sunt, ac *ex subjungendis* pleniorem explicationem habebunt.

5. Definitio Postquàm præmissa, Resurrectio ipsa *secundùm Antecedentia sua, seipsam & connexa, ac deniq; consequentia, tàm propinqua, quàm remota,* consideranda veniet.

6. *Antecedentia sunt, quæ tempore eam antecesserunt. Suntq; Remotiora,* quæ longiùs ab eâ distant. *Suntq; Veteris vel Novi Testamenti.* Ex veteri *Prophetiæ, Typi, & Historiæ* nonnullæ, analogiam ad resurrectionem Christi obtinentes, esse possunt.

7. *Ex Prophetiis* juxta ordinem *à Christo* ostensum, *Luc. 24. v. 44. quædam ex Mose, quædam ex Psalmis, nonnullæ ex Prophetis desumi possunt. Ex Mose prima est protEvangelium illud Gen. 3.* Quod de Mesiâ agere, & de Christo explicandum esse *fusè in Passionalib. t. 6. sequ.* ostensum est. Jam conterere caput serpentis, quod de semine ibi dicitur, resurrectionem inter alia involuere ex eo patet, *quòd* destruere opera Diaboli illud sit, ut Scriptura explicat, 1. *Joh. 3. v. 8.* Operum autem Diaboli maximum & potissimum *peccatum* est, & per id mors, ut peccati Stipendium, *Rom. 6. v. 26,* in mundum introducta est. *Sap. 2. v. 24. 1. Cor. 15. v. 26.* Illa etiam à Christo euersa est, *Heb. 2. v. 14.* Everti autem non potuit, nisi resurgendo. Qui enim in morte manet, nec resurgit, morti succumbit, non eam evertit. Christum autem è mortuis resurrexisse ex *N. T.* scimus. *Secunda est promissio Abrahæ facta de semine, in quo benedicendæ omnes gentes sint, Gen. 12. 18. 22. 26. & 28. Judæi* de carnali prærogatiuâ & temporali gloriâ Judæorum, ex Abrahamo ut Patre præ gentibus ortorum, explicant. Sed *præter hanc,* quam etiam includi ex multiplicatione & fæcunditate promissâ patet, *Gen. 12. v. 2. C. 13. v. 38. C. 22. v. 17. C. 26. v. 4.* & Spiritualem aliquam promissionem inuolui necessum est. Quod patet 1. *Ex Naturâ benedictionis promissæ in isto semine,* quà terminus benedictionis *à quo,* unde illa ducenda, semen istud statuitur, terminus *ad quem* omnes gentes, in quas à Judæis per semen istud benedictio derivanda sit, non quòd gentes benedicent & gratulabuntur Judæis de fœcunditate istâ, & prosperis rerum successibus, quibus defungantur, quòd Abrahæ progenies sint; Vt friuolè hic

se hic tricantur *Judæi*: Sed quòd benedictio à Judæis mediante isto semine in gentes sit effundenda, prout *C. l. & Gen. 28. v. 14.* expressè patet.

8. 2. *Ex duplici & copulatâ promissione C. l. expressâ.* 1. *Fæcunditatis & multiplicationis* 2. *Benedictionis in gentes effundendæ.* Quæ cum distinctè semper subjungantur, non sunt tanquam unum sumendum, aut alterum cum altero confundendum, aut alterum in gratulationem saltem aliquam, quâ gentiles defuncturi sint, conuertendum, cum longè majus sit, benedictionem ab aliquo & in aliquo sortiri, ac alicui de lœto successu gratulari. *Illud* reale beneficium ab illo in hunc redundans est: *Hoc* tantùm affectus & gaudii erga alterum testificatio. 3. *Ex Consequente absurditate. Si* his locis non inuoluitur promissio de Messiâ Abrahæ facta, nullam ipse de eo promissionem sortitus est. Alia enim ipsi de Messiâ facta ostendi non potest. At absurdum, *Patrem omnium credentium non promissionem fundamenti fidei & fidelium, quod vnicus Messias est, nactum esse.* Cum Deus ipse non celare eum posse dicat, quæ gesturus sit, *Gen.* 18. *v.* 17. Quomodo tantam rem de Messiâ ex semine suo proditure ei subticuisset? Et gavisus Abraham dicitur, quòd diem Messiæ Spiritu vidisse debuerit, eamq; viderit. *Iohan.* 8. *v.* 67. Quomodo illud, si ne promissum quidem ejus habuerit? 4. *Ex paraphrasium Chaldaicarum testimonio*, quæ voces, in Te, *Gen.* 22. & 26. causaliter reddunt, propter te, & explicant, propter Filium tuum & justitiam Fili tui. Et de eodem sumunt hæc loca, de quo *Psal* 72. *v.* 17. At hunc de *Messiâ* agere *plurimi Hebræi* concedunt. Et promissionem ergò Abrahæ de eodem agere necessum est. In hac promissione resurrectionem Christi *Propheticè* inuolui patet *partim*, quòd si in morte mansisset, benedictionem ad nos transferre non potuisset, Cum ipse sub maledictione mansisset, Mors enim maledictionis pars est, *Gal.* 3. *v.* 13. *Partim* quòd benedictionis nos per resuscitationem participes faciat, ut Petrus *Act.* 3. *v.* 26. testatur; *Conf. Rom.* 4. *v.* 25. *C.* 5. *v.* 10. 1. *Cor.* 15. *v.* 20. *seq.* 1. *Pet.* 1. *v.* 3. *seq. aliaq;.*

9. *Ex Psalmis primum ex Psal.* 2. *v.* 7. est, quod etsi de generatione Filii DEI ante secula primò loqui *Vetustiorum Patrum* plerorumq; fermè sit opinio: *Secundò* tamen applicatione aliquâ sensus

sus literalis & mediatâ sensus unius ex alio consecutione & deductione ad resurrectionem Christi applicari potest. Per eam enim potenter demonstratus est Filius DEI ante secula à Patre genitus, *Rom.* 1. *v.* 14. Quia enim Corpus Christi Corpus ipsius Naturalis Filii DEI erat, impossibile erat morte illud teneri. *Act.* 2. *v.* 24. *& seq.* Et hoc modo ad resurrectionem Christi à *Paulo Act.* 13. *v.* 33. accommodatur. *Duo enim ibi Paulus probanda sumit, & quòd* DEUS promissionem exhibuerit, eò quòd Filium suum proprium & naturalem tandem miserit, quem ipse genitum dixerat, *Psal.* 2. *& hoc v.* 33. intendit, & adducto *Psal.* 2. probat; Vbi vox ἀναστήσας non necessariò & semper resuscitans notat, sed & quandoq; *statuens, constituens, introducens, sistens*, quod promissum est, quomodo μεταστήσας amouens, & remouens, & deponens est, *v.* 22. *& C.* 2. *v.* 30. ἀναστήσειν constituere & exhibere est: *Et quòd* Christum mortuum vicissim resuscitauerit, nec corruptionem videre passus fuerit. Et hoc *v.* 34. tanquam novum quid subjungit, ac dicto *Esaiæ* 55. *Psal.* 16. confirmat, prout alibi latius deducitur. *Secundum ex Psal.* 8. *v.* 6. *Gloriâ & honore coronasti eum*, quod ad *Christi* glorificationem refertur *Hebr.* 2. *v.* 7. Primus autem glorificationis gradus est resurrectio. *Act.* 2. *v.* 23. *C.* 3. *v.* 15. *C.* 13. *v.* 37. *Apoc.* 1. *v.* 5. *Tertium Psal.* 16. *v.* 9. *seq.* est, Psalmum hunc *de Messiâ* agere, etsi *Judæi* negent, & de Davide intelligant, quos *Judaisantes* quidam Christiani seqvuntur, ut *Calvinus* & similes: fortiter tamen *& à re ipsâ* refutantur; Quia hic negatur corruptionem visurus, David autem omninò vidit eam: & David prophetat hic de re futurâ; Prophetæ autem de seipsis prophetare non solent, sed de aliis: *Et à testimonio aliorum Rabbinorum, Vt R. Mosche Hadarschan* super *Psal.* 49. *v.* 10. *ap. Heluicum d.* 4. T. 4. *Gies. t.* 51. *Et apertissimâ Apostolorum* in N. T allegatione *Act* 2. *&* 13. Qui non solum de Christo explicant, sed & de eo, & non Davide, explieari debere rationibus aliquot confirmant. *Quartum est Psal.* 22. *v.* 22. 23. Vnde resurrectionem concludi patet, qvia post eam Christus Apostolos suos fratres dixit, *Joh.* 20. *v.* 17. Quod de eo hic prædictum fuit. *Quintum Psal* 31. *v.* 6. quod de Christo explicatur *Luc.* 23. *v.* 46. *Et v.* 5. additur; *Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi*, quod de resurre-

surre-

resurrectione intelligendum. *Sextum Psal.* 41. *v.* 11. Tu Domine miserere mei, & resuscita me. *Septimum Psal.* 68. *v.* 1. *seq*: Quem de resurrectione & ascensione Christi loqui *Eph.* 4. *v.* 8 patet. *Octavum Psal.* 110. *v.* 7. Quod ad Christum refertur *Matth.* 22. *Act.* 2. 1. *Cor.* 15. *Heb.* 1. & 5. Et exaltatio ejus inde deducitur, ad quam & spectat *Resurrectio*.

10. *Ex Prophetis primum Esai.* 53. *v.* 10. 11. *est*, ubi generatio longinqua, semen longævum, & exsaturatio Messiæ tribuuntur. At hæc de mortuo, & qui in morte manet, dici non possunt. De Messiâ autem Caput istud agere *in Passional. t.* 12. probatum est. *Secundum Esai.* 55. *v.* 3. *est*, ubi feriri fædus perpetuum, & promissa David fidelia servatum iri promittitur, quod ad resurrectionem Christi *Act.* 13. *v.* 44. applicatur. Hoc etiam de eo, qui in morte manet, dici nequit. *Quidam & ex C.* 25. *v* 8. *Esai.* adducunt, Absorpta est mors in sempiternum, vel secundùm Hebræû, absorpsit mortem in sempiternum; Ut *Eusebius l.* 4. *demonst. Evang C.* 12. Et sensus dicti 1. *Cor.* 15. *v.* 54. *est* expressus, potestq́; ad resurrectionem Christi omninò accommodari. *Literali tamen sensu* de vitâ æternâ ejusq; delitiis & liberatione agit, ubi plenariè mors abolebitur, dolor omnis auferetur, & lacrymæ abstergentur. *Apoc.* 7. *v.* 17 *C.* 21. *v.* 4. *Tertium Dan.* 7. *v.* 14. & *C.* 9. *v.* 24. *est*, ubi regnum perpetuum Messiæ tribuitur, in quo justitia adducta, & iniquitas ablata erit. De Messiâ hoc agere in *Passion: t.* 13. *seq.* ostensum. Resurrectionem inuolvi ex regno perpetuo & sempiternâ justitiâ adductâ patet. Nec enim talia tribui possunt ei, qui in morte manet, ab eaq; superatur. Resurrexisse ergò Christum à morte oportuit. *Quartum Ose.* 6. *v.* 2. *est*; *Die tertiâ suscitabit nos, &c.* Ubi per spiritualem capitis & membrorum cognationem de fidelibus dicitur, quod primariò de Christo, ut capite, dicendum erat; *Primitiæ* enim dormientium Chistus est, 1. Cor. 15. v. 20. 23. Ille resuscitatus & nobis meruit, ut & *post primum* laboris in mundo, & *secundum* quietis in sepulchro diem, *tertio* novissimi diei die ad vitam æternam resuscitemur. Unde *v.* 3. & ad Christum flectit, & tanquam auroram egressum ejus esse dicit. Et de Messiâ locum hunc R. *Mose Hadarsan*, R. *Simeon*, *Liber Mechilta*, aliiq; exponunt.

B Vide

Vide *Heluic. C. l. t.* 52. Sic quod de Israelitis dictum *Ose* 11. v. 1. ad Christum accommodatur *Matt.* 2. v. 15.

11. *Quintum Os.* 13. v. 14. est, quod ad Christi mortem & resurrectionem apertè 1. *Cor.* 15. v. 54. 55. *& Heb.* 2. v. 14. accommodatur; Ac quæ Propheta de eo prædicat, de nullo alio dici possunt. *Conf.* 2. *Tim.* 1. v. 10. *Sextum Amos* 9. v. 11. *est*; Ubi tabernaculum Davidis fractum suscitandum dicitur, quod de morte & resurrectione Messiæ *R. Mauchem in Thalmud* explicat; etsi & ad Ecclesiæ restaurationem benè accommodetur, *Act.* 15. v. 16. *Septimum Mich.* 2. v. 17. *est* de perruptore ante nos ascendente, quod de Messia R. *Hadarsan* exponit *ap Heluic. C. l. t.* 53. Et ad resurrectionem Christi accommodari solet, Quanquam alii literaliter de *Judæis* præ timore muros perrumpentibus, hostemq; invasorem cum Rege suo antecedente fugientibus explicant. *V. Tarnovium in Com. h. l. Judæis* tamen propriæ suorum de Messiâ explicantium authoritates opponi possunt. *Octavum Zacch.* 9. v. 11. *est, ubi captivi de Lacu emittendi dicuntur.* Judæi de liberatione ex captivitate Babylonicâ accipiunt. Eos *Judaizantes quidam Christiani* seqvuntur, ut *Calvinus l.* 2. *Inst.* C. 16. *& Sutlivius l.* 1. *de purgator. C.* 14. *aliiq;* Sed de *Messiâ* ejusq; liberatione è spirituali lacu agi Contextus totus, v. 9. 10. Applicatio ad Christum in Novo Test. *Matt.* 21. v. 5. *Ioh.* 12. v. 15. Et quorundam *Rabbinorum* de Messiâ explicantium authoritas docet, Ut *R. Marochiani, Berachiæ, Salomonis, Mose Hadarsan, aliorumq;* Jam si Messias captivos è lacu, id est, inferno, emisit, utiq; morte eum non superari, sed resurrexisse oportuit. *Plura* huc referri possunt, quæ ex *Pentecost. t.* 16. 17. patebunt.

12. Ita *Vaticinia ex V. T. de* resurrectione Christi fuerunt: *Seqvuntur typi*, talia gesta, quæ ex intentione ipsius Spir. S. allegatione aliquâ vel allusione expressâ, eam præfigurasse intelliguntur. In his propriè typum esse in *Passional. t.* 16. dictum. *Primus ejus typus Adamus post somnum suum suscitatus* Evamq; agnoscens est, *Gen.* 2. v. 21. Quem Christi typum fuisse in *Passional. t.* 19. dictum. Ut ille ex Somno excitatus Evam ex se formatam agnoscebat, Sponsam & conjugem recipiebat, amabat, alebat, regebat, cumq; eâ vitam animalem degebat: Sic Christus ex morte suscitatus Ecclesiam in morte â se per Sacramenta fluxu aquæ & Sangvinis è latere fi-

ræ figurata genitam, recipit, agnoſcit, tuetur, vivificat, regit, omniaq́ꝫ ei ad vitam Spiritualem neceſſaria abundè procurat, *Epheſ.* 4. *v.* 11. *ſeq. C.* 5 *v.* 23. *Seq. Secundum primitiæ frugum in V. T. juſſu DEI DEO oblatæ faciunt*, quas typum eſſe ex alluſione Apoſtoli 1. *Cor.* 15. *v.* 20. ad eas patet, cum Chriſtum primitias dormientium vocat. Collationis membra varia ſunt, & alibi explicantur. *Tertius Virga Aaronis arefacta iterùm efflorescens & fructus ferens eſt*, *Num.* 17. *v.* 8. Quam ad Chriſtum typum aliquem geſſiſſe, *partim* ex appellatione Virgæ de radice Ieſſæ Chriſto attributâ, *Eſai.* 11. *v.* 1. *partim* ex proverbio â ligno virente ſumpto, â Chriſto ipſo ſibi applicato, *Luc.* 23. *v.* 31. & V. T. rerum cum Novi rebus collatione, *Heb.* 9. *v.* 2, *ſeq.* patet. *Quartus* Jonas *è ventre ceti vicisſim ejectus eſt*, quem typum Chriſti fuiſſe *t.* 19. *Pasſional.* viſum. *Vt* Jonas tertio die â balænâ ejectus: *Sic* Chriſtus tertio die â morte ſuſcitatus. *Vt* Cete juſſu DEI Jonam exſpuere cogitur: *Sic* mors Chriſtum liberum dimittere, cum ab eâ teneri impoſſibile erat. *Act.* 2. *v.* 24. *Vt* Jonas ejectus pœnitentiam Ninivitis prædicat; *Sic* Chriſtus è morte redivivus pœnitentiam in toto orbe prædicari per Apoſtolos juſſit, & Hieroſolymis incipere. *Luc.* 24. *v.* 47. *Quintum Simſon eſſe poteſt*, mediâ nocte portas Gazæ in montem deferens, & funes, quibus vinctus, diſrumpens, *Jud.* 16. *Sextum Iſaacum ab Abrahamo, cum ſacrificare eum juſſus eſſet, vivum receptum facere ſolent.* Sed cum intentionem Sp. S. hic non ſatis cognitam habeamus, vix inter typos numerandus veniet. *Dicitur* quidem in parabolâ ab Abrahamo receptus, *Heb.* 11. *v.* 19. Sed non præciſè Reſurrectionis Chriſti, nec ad hanc applicationem Sp. S. habemus: Sed *poteſtatis* DEI *è mortuis ſuſcitare valentis*, quod proximè anteceſſit, in cujus figuram Iſaacum recepiſſe dici poteſt. *Vel parabola* non typum ibi notat, ſed exemplum, memorabile prodigium, & proverbium Orbi, quod Fidei, Spei, Pietatis, & obedientiæ ex eo ſumat. Sic 1. *Cor.* 10. *v.* 6. *Eſai.* 8. *v.* 18. *Pſal.* 69. *v.* 12. ſecundùm Hebræum, typus & parabola ſumitur. Rectiùs *inter hiſtorias* ad reſurrectionem Chriſti analogiam aliquam obtinentes referri poteſt, quæ varia in eâ eſt. *Iſaac* unigenitus Abrahæ ex Sarâ, hæres proprius, & ſacrificandus erat, ſed liber â ſacrificio dimiſſus: Sic

 Chriſtus

Christus patris sui. Et morte quidem sacrificatus fuit: Sed post triduum liber ex morte apparuit.

13. Sic & *typi* Resurrectionis fuerunt. Sequuntur *Historiæ analogiam aliquam ad eam obtinentes*. Vt Isaaci sacrificandi, de qua *t*. 12. *Iosephi* in 3. annum in carcere detenti, postea inde educti, & domini totius Aegypti constituti, *Gen*. 39. *seq*. *Mosis* in aquas conjecti, inde extracti, & liberatoris ac ducis populi Israelitici constituti. *Exod*. 2. *Rubi ardentis*, sed non consumpti, *Arcæ* fœderis ex lignis non corruptibilib. constantis, *Davidis* in oculis Philistæorum velut mortui, sed Goliathum gigantem prosternentis, *Danielis* ex faucibus leonum in foveâ liberati, Et *quæ similia* esse possunt, in quibus analogiam aliquam ad resurrectionem Christi contineri facilè liquet, ac paratâ operâ deduci potest, si necessum sit.

14. Ita *Antecedentia remotiora* ex V. T. fuerunt. *Sequuntur ex Novo*. *Qualia Nativitas, Circumcisio, Revelatio, præsentatio Christi, fuga in Aegyptum, educatio, prima Christi in templo disputatio, Ministerii aggressus & occupatio, Variorum miraculorum, Concionum, & gestorum in eo perpetratio, & similia sunt*, de quibus bonam partem in *Natalitiis* visum, Et ex historiâ Evangelicâ pluribus sumi possunt. Confer *Passionalia* §. 2. Et sic *Antecedentia remotiora Vniversa* fuerunt. *Propiora sunt, quæ propiùs ad Resurrectionem accedunt*. Suntq; propior Resurrectionis prædictio, qualis in transitu per Galilæam, *Matt*. 17 *v*. 9. 22. *Marc*. 9. *v*. 31. *Luc*. 9. *v*. 22. Et proxima, paucis ante passionem ipsam diebus repetita, Cum discipulos Christus assumeret, & Hierosolymam cum ipsis tenderet, *Matt*. 20 *v*. 17. 18. *Marc*. 10. *v*. 34. *Luc*. 18. *v*. 33. Variæ Conciones Christi Hierosolymis ante passionem habitæ, *Matt* 21. 22. *seq*. *Passio ipsa* cum Circumstantibus & connexis suis, de quibus in *Passionalib*. *t*. 20. *seq*. actû, & *sepultura Christi*. De hac quia nihil ibi dictû, *sed ad Paschalia* rejecta fuit, *t*. 51. inter proxima Resurrectionis antecedentia *jam aliquid de eâ porrò pertractandum erit*. Nam & *in symbolo Apostolico* expressè confitemur, *Christum sepultum esse*: Et æquè fide Catholicâ id à Christiano sciendum & tenendum, ac passum & mortuum esse.

15. *Sepulturæ Christi spectari potest in prædictione & executione suâ*. *Prædictione*, quomodo à Prophetis V. T. prædicta, aut typis adum-

adumbrata est, aut à Christo ipso in N. T. prænuntiata. Prædictio *in Psal. 16. v. 10. est*, Quem de Christo agere *t.* 9. patuit. De statu mortuorum & sepulturâ, quæ plerumq; statum istum comitatur, agere *ex allegatione Apostolicâ Act. 2. v. 26. seq. C. 13. v. 15. seq.* patet. Similiter in *Esai. 11. v.* 10. Vbi requiem Mesiæ gloriosam & splendidam futuram prædicitur, quem locum de Messiâ agere allegatio *Apostolica Rom.* 15. *v.* 12. similiter docet. Et fuit sepultura Christi gloriosa *partim* ob sepelientes, Josephum & Nicodemum, qui Viri honorati, Consulares, Pharisæi, & præcipui fuerunt: *Partim* ob sepeliendi modum, qui pretiosus & sumptuosus fuit, syndone n. inuolutum, & aromatibus pretiosè conditum Corpus fuit, *V. t.* 21. *Partim* ob sepulchri statum, quod novum, in petram excisum, nullo Corpore contactum, in horto paratum, lapide benè firmiterq; custoditum: *Partim* ob ipsius Corporis Christi qualitatem, quod incorruptibile, & in sepulchro putrefieri non debebat: *Partim* ob tempus, quo sepultus, quod parasceve magni festi Paschatos. *Partim* ob consequentem resurrectionem, quâ gloriosè è sepulchro vivus prodiit, *partim* ob alias Causas, de quib in sequentibus: Deniq; *in Esai.* 53. *v.* 9. Ubi sepulturæ Mesiæ aperta mentio est, & de *Messiâ* caput accipiendum esse *in Passionalibus t.* 12 constitit. *Adumbratio ejus typica* in Mosis mirabili sepulturâ, *Deut.* 34. *v.* 6. Qui insignis Christi typus fuit, *Deut.* 18. *v.* 15. 17. *Hebr.* 3. *v.* 2. 3. *seq. V. Passion. t.* 19. Et Jonæ triduanâ in ventre Ceti commoratione est, *Jon.* 3. *v.* 2. Quam ad se Christus applicat, *Matt.* 12. *v.* 40. *Quidam* & Danielis in obsignatam foveam leonum conjecti ac detenti historiam *Dan.* 6. *v.* 16. 17, huc applicant. Sed cum ex intentione Sp. S. non constet, *Danielem* typum Christi fuisse; rectiùs inter historias analogicè sepulturam Christi repræsentantes, qvàm typos ea referri potest. *V. t.* 12. *In N. T.* ab ipso *Christo* sepultura *Matth.* 12. *v.* 40. insinuata & prædicta est.

16. *Executione*, quomodo facto ipso per circumstantias suas à nonnullis occupata est. *Sic est demortui Christi corporis è cruce ablatio, & honorifica pro more Judæo in sepulchrum novum à procurantibus illatio*, Descripta ea extat *Matth.* 27. *v.* 57. *seq. Marc.* 15. *v.* 24.

v. 42. seq. Luc. 23. v. 50. seq. & Johan. 19. v. 38. seq. Et circumstantiis suis deducta est.

17. De eâ *Sequentia* qværi possunt. 1. *Quomodo vesperâ sepultura Christi procurata, Matth. 27. v. 57. Cum ad vesperam Judæi dies inchoënt, & sic initium Paschatis Judaici jam ceperit, quo sepelire hominem non licuit?* Nempè vespera fuit, *sed inclinans, nondum completa,* quâ Sabbathum inchoat: Incipiens & ante solis adhuc occasum vespera fuit, quando circa vesperam dies inclinat, Sol tamen adhuc horizonti supereminet, *Luc. 24. v. 29.* Quomodo vesperæ vox *Matth. 14. v. 15.* sumitur, Nondum profunda & tenebrosa, ubi sol infra horizont: Et ad secundam noctis vigiliam tempus tendit, quomodo *Matth. c. l. v. 23.* sumitur. Fuit vespera ingruentis & appropinquantis Sabbathi, ut *Lucas addit C. 23. v. 54.* Nondum jam inchoati: Parasceve adhuc præcedens Sabbathum, ut *Marcus C. 15. v. 42.* determinat, Duabus tribusvè horis ante Sabbathum sepultura expedita, non ipso sabbatho jam existente, etsi appropinquaret illud. Unde Josephus sepulturam acceleravit, ut Marci particula ἐπεὶ docet. 2. *Cur Joseph senator præcisè hanc sepeliendi curam suscepit, non Maria mater Christi, cognati ejus, aut Apostoli?* Quia inchoandus erat honor in sepulturâ Christo exhibendus, ut requies ejus gloriosa existeret, *t. 15.* Unde honoratæ è senatorio ordine Personæ ministerio DEUS ad id uti voluit. *Milites* & turpissimi nebulones indignè Corpus Christi in vitâ tractârant; Jam *Senator* honorificè illud tractandũ suscipit in morte. Et cõmodissimè Ioseph id præstitit, qui & ausus est, tanquã Senator, officiarius, honoratus: & impetrare potuit, tanquã dignus & meritus, Cui tale officium â Præside præstaretur; & sumptus impendere, ut dives & pecuniosus, qui & sepulchrum propriũ in proximo habebat, & cætera Sepulturæ necessaria facilè subministrare poterat: *Et* promptè id expedire voluit, ut probus & pius, ac qui fidem in crucifixum istum jam ante conceperat, eamq; in demortuum adhuc servabat, & hoc facto publicè demonstrare cupiebat. Antea occultus Christi discipulus fuit, ob metum Judæorum & Collegarum, *Johan. 19. v. 38.* Jam manifestus esse incipit, & difficultates omnes fidei objectas spernit, reiicit, & superat. *Audet, adit, rogat, impetrat, & gloriosè corpus Christi recondit.*

18. 3.

18. 3. *Quis & qualis Josephus iste?* Describitur ab Evangelistis *à Nomine, origine, statu, & qualitate.* *Nomen* Joseph est, ab Hebr. יָסַף addidit, adjecit. Pietati suæ cæterisq; virtutibus & hoc ultimum erga Christum defunctum opus adjecit, ut sepeliendi ejus curam susceperit. Pulcrè ad simile nomen Josephi proregis Ægypti, honorificè defunctum Patrem Jacobum sepelientis, *Gen.* 50. *v.* 2. alluditur, & ad Josephum Patrem curæ Christi, *Matth.* 1. *v.* 18. *seq.* ut eodem nomine conveniant, & qui nati Christi, & qui denati curam suscepit. *Origo* ab Arimathæâ est; Sedem & domicilium Hierosolymis habuit, ut Senator, sed oriundus ex Arimathæâ civitate Judæorum fuit. Sic enim τὸ ἀπὸ Ἀριμαθαίας sumitur, ut ex simili *Joh.* 1. *v.* 45. *C.* 12. *v.* 21. patet. *In quâ tribu sita fuerit*, dubium est. *Quidam* in tribu Ephraim locant, & Patriam Samuelis fuisse putant, 1. *Sam.* 1. *v.* 1. *Alii* Leviticam urbem censent, confinem tribui Ephraim; *Alii* in tribu Juda ponunt, *Jos.* 15. *v.* 52. *Jud.* 9. *v.* 41. Primum probabilius. Et olim Rama dicta, post Syriacè Ramatha & Ramathaym, nam duo oppida fuerunt, & unum alterum respexit. Hinc doctrinam de Messiâ haurire potuit *Joseph*, & ex miraculis Christi applicationem facere. *Status est*, quòd senator & dives dicitur. *Latinus* Decurionem vertit, *Marc.* 15. *v.* 43. *Luc.* 23. *v.* 50. Quod *Lyra* de curiâ præsidis vel Imperatoris aliquem, *Casaubonus* in N. T. Arimathææ decurionem explicat. Sed Hierosolymæ Senatorem fuisse descriptio docet, & qui Romæ senatores, in municipiis ac Coloniis decuriones dicebantur. Et cum dives sit, non sordidum opus, crucifixum sepelire, suscipere detrectat, nec opibus suis timet, nec illis inflatur, nec eas abiicit, sed in pium & utile opus impendit, *cum alias rara cum divitiis consistat innocentia.* *Qualitas* est, quòd probus, pius, Christi discipulus, non impietati Consiliorum Judaicorum consentiens, & regnum DEI exspectans dicitur. Hæc ad commendationem ejus ulterius faciunt, & raram pietatis cum divitiis conjunctionem in eo commendant. *In Deum* pius verboq; ejus credens, in *proximum* justus, in egenos bonus & beneficus, in miseros misericors, *in seipsum* modestus, honestus, & compositus fuit, eaq; omnia insigni hoc facto demonstravit. *Talis tantusq; Vir fuit*, qui corpus Christi ad sepeliendum petiit. Quidam

dam etiam *Massiliam* navigasse, in Angliam venisse, ibi prædicasse, ac ab Anglis velut *Anglorum Apostolum* coli asserunt, ut *Luc. Dexter, Baronius, Lapide in 27. Matth. v. 58* Quæ omnia *incerta* sunt.

19. 4. *Cur solius Josephi Matthæus, Marcus, & Lucas meminerunt, cum & Nicodemus sepulturam procurârit, Ioh. 19. v. 39?* Quod uni Evangelistarum deest, alteri superest, & ex eo supplendum est. *Josephus primus motor & Author* totius negotii fuit, qui ad Pilatum venit, Corpus petiit, impetravit, & de Cruce auferre voluit, ac sepeliendum recepit. Postea, ubi ad actum se componit, & corpus è cruce tollere vult, famulis suis, militib. crucifixorib. adjutoribus, *Nicodemus* supervenit, & mirabili DEI providentiâ Iosepho socium se jungit, aromatha ad 100. libras apportat, & sepeliendi officio unâ defungitur. Ita DEO providente *primariæ personæ, & Ecclesiasticæ, & Politicæ,* concursu, sepultura Christi maximè illustris & conspicua redditur, & cum Ecclesia Christi abjectissima esset, quidam illustres confessores etiam in morte Christi suscitantur, qui odia, ignominiam, pericula, superant, salutem propriam contemnunt, & bona sua usui Christi impendunt. Sic illud *Psal. 22. v. 30. Pingves terræ eum adorabunt,* impletur. Et *in Passione*, ut liberaretur, intercessione eorum uti noluit Christus, quò finem passionis assequeretur: *Sed in morte* officio uti voluit, ut honestè & splendidè sepeliretur. 5. *Qualis Iosephi audacia, quam in postulando Christi corpore sumpsit, Marc. 15. v. 43?* Non mala & vitiosa, prout plerumq; in malam ἡ τόλμα, audacia, sumitur, & excessus veræ fortitudinis dicitur: Sed bona, & laudabilis, animi præsentiam & confidentiam periculis infractam notans, ut *Rom. 5. v. 7. Phil. 1. v. 14.* Quâ opus fuit *cùm ob Præsidem*, cujus jussu Christus cum latronibus crucifixus, & qui bona Iosephi confiscare poterat, si postulatum iniquum judicasset: *Tùm ob Collegas*, Senatores, & Scribas, â quibus Christus ut seditiosus, hæreticus, & Seductor, damnatus erat, & â quibus honoris diminutionem metuere poterat: T*ùm ob populum*, qui ad crucifigendum magnis clamoribus eum postulaverat, & â quo seditionem ac capitis periculum timere necessum habebat. *Quidam* â Mariâ matre Christi ad officium hoc animatum eum putant, *ut Metaphrastes, Baronius, A Lapide in 26. Matth. v. 55. 58. Sed* incertum

hoc

hoc est. *Alii* à Sacerdotibus ob hoc in carcerem conjectum, sed mirabiliter liberatum tradunt, ut *Turonensis l.* 1. *C.* 21. Hoc etiam incertum, & Scripturâ utrumq; destituitur. *Posterius ex Apocrypho Nicodemi Evangelio* acceptum, dubiæq; & incertæ fidei esse *C. à Lapide in C.* 27. *Matth. v.* 58. fatetur. Nec *Baronius n.* 192. multum ei tribuere audet.

20. 6. *An pretio dato mercatus sit Iosephus Corpus Christi à Pilato, an gratis acceperit?* Prius *Theophilacto* videtur, quòd diues Iosephus dicatur. *Contrarium* probabilius. Donasse enim Pilatus dicitur, ἐδωρήσατο, *Marc.* 15. *v.* 45. Et hoc prudentiæ ejus Politicæ convenientius, quàm vendere. Nam & leges Romanæ corpora damnatorum petentibus dare concedunt: *Et Iosephus* Vir gravis, honoratus, ac apud Præsidem gratiosus erat, cui tale quid negare inhumanum; *Et* avaris probri loco obiicitur, quòd sepulturam punitorum negent, aut divendant, ut Verri, *V. Ciceron. l.* 15. *in Verrem t.* 118. 119. Christus innocens fuerat, quod Pilato constiterat, & publicè ab eo comprobatum erat: Et analogiæ id meliùs competit, quâ Christi corpus δῶρον & *donum optimum, cælo & terrâ pretiosius, à pio homine petitum, à nequam homine datum esse* dici solet, idemq; nostrum donum ex gratiâ à DEO datum, fide suscipiendum, & corde sepeliendum ac retinendum dicitur. 7. *Cur Pilatus miratus, quòd jàm obierit Christus?* Quia lentâ morte in cruce confici homines solent, & ad 3. imò 9. dies quosdam in eâ vixisse, quosdam ablatos supervixisse, *Lipsius l.* 2. *d. Cruc. C.* 13. memorat. Non injuriâ ergò miratur, si paucas post horas, quàm crucifixus, verè Christus obiit. *Voluit* ita veritatem mortis Dominicæ expiscari, ne fraudis aliquid subesset, & Josephus, Christi discipulus, specie sepulturæ corpus adhuc vivum à Cruce & morte liberaret. *Vel* etiam Pilatus credidit, cum mortuos alios Christus resuscitasset, & seipsum à morte liberaturum esse. Cum ergò mortuum audit, miratur. Ita veritas mortis & Centurionis testimonio, & Præsidis assensu, comprobatur, Vt nullâ specie veritas Resurrectionis in dubium vocari possit. 8. *Quomodo Corpus de cruce deposuerit Josephus?* Incertum hoc, & frustra inquirendum, Cum ab Evangelistis non narretur. *Aliorum operâ*, ut Johannis &

 fauto-

Fautorum Christi Cruci adstantium, *fortè & militum* ad crucem vigilantium. *Matth.* 27. v. 36. uti hic potuit. Jussit enim Pilatus ei dari Corpus, *c. l.* v. 58. Haud dubiè per milites & crucifixores, adjutus his Corpus cruce deponere potuit, quocunq; modo id factum fuerit.

21. 9. *Quomodo ad sepulturam Christi quadret Esaiæ* 53. v. 9. *Sepultus ut impius, mortuus, ut dives, cum inversim potius dicendum, mortuum, ut impiũ, sepultum, ut divitem* fuisse? Gloriosè enim sepultus, ut divites solent. *V. t.* 15. 17. *Variè* reddunt & explicant verba Prophetæ. *Quidam* locum corruptum dicunt; *Alii* punctationes variare censent; *Alii* aliter. *Tutissimè* ex Hebræo textu dicitur, Cum impiis dedit sepulchrum ejus, *h. e. datum esse Christo sepulcrum circa ea loca, ubi impii & latrones sepeliri solent*, juxta montem Calvariæ, & cum divite in morte suâ, h. e. *vel* mortuum esse, ut talem, qui fiduciam suam in divitiis posuerit, qui etiam in sacris dives dicitur, *Marc.* 10. v. 23. 24. qualis impius esse solet: *Vel* in monumento divitis hominis, Josephi, post mortem repositum esse: *Vel* hunc sensum esse, Dedit (DEus scil.) à divite, Josepho, sepulcrum Christo, & ab impio, Pilato, mortem suam, vel ab impiis militibus, post mortem ejus custodiendum sepulcrum. 10. *Cur Syndoni, linteo purissimo, Corpus Christi involutum? Quia* honorificè sepeliri debuit Christus, *t.* 15. *Et* sic ap. Judæos magnates sepulti, ut *Maimonides Tract. de luctu, C.* 4, *tradit*, dignũq; Christi Corpus eo erat, *t.* 20. Et *quia* fidem & caritatem in defunctum testari voluerunt sepulturæ isto sumptu, aliquot linteis illud involuerunt. Unde *Iohannes* pro voce Sindonis lintea, ὀθόνια, pluraliter dicit, *C.* 19. v. 40. *C.* 20. v. 6. Sudario caput involuerunt, *Ioh.* 20. v. 7. Pedes & manus fasciis colligârunt, ut Lazari, *Ioh.* 11. Corpus totum aliquot linteis obvoluerunt. 11. *Cur unguentis & aromatibus, & quidem magnâ copiâ unctum ac conditum, sepultum corpus Christi, Ioh.* 19. v. 39? *Quidam* non illis unctum censent, quod tempus nimis breve, & mulieres demum id officii expedire voluerint, *Marc.* 16. v. 1. *Luc.* 23. v. 56. *C.* 24. v. 1. *Nec Matthæus, Marcus & Lucas* quidquam de uncturâ habeant, ut *Piscator*. Sed expressè *Ioh.* 19. v. 40. id contrariatur, & mori Judæorum ibi adducto, quo omninò condita & uncta corpora sepeliri solent. Quod cæte-

ris E.

nis Evangelistis deest, ex *Iohanne* supplendum est, ut unctura Corporis & concursus Nicodemi cum Josepho, quem etiam Solus *Iohannes* narrat. *Mulieres* cur jam unctum denuò ungere voluerint, fervori caritatis earum tribuendum est Cum rudem & extemporaneam Nicodemi uncturam fuisse censerent, accuratiùs adhuc & sumptuosiùs ungere meditatæ sunt, eoq́; cum vngventis & aromatibus ad ungendum venerunt. *Vnxit autem Josephus & Nicodemus*, non quòd putredini subiiciendum timerent, idq́; præcavere vellent: Noverant enim resurrecturum, & à morte teneri non posse, Cum & ipsi hostes id timebant, *Matth.* 27. *v.* 36. Sed *partim*, ut fidem, pietatem, & charitatem in defunctum, & honorificum suum de eo sensum tàm sumptuoso officio contestarentur; *partim* mysticæ uncturæ significata adumbrarent, ut spiritualem Suavitatis odorem ex Christi morte ad nos redundantem, spiritualem nostri per mortem Christi conservationem, fidem vivam & per officia se exerentem, decoram piorum corporum tractationem, & vaticinii, *Psal.* 45. *v.* 9. impletionem adjuvarent.

22. 12. *Cur mulieres non statim cum Josepho & Nicodemo ad ungendum ante sepulturam concurrant, sed post resurrectionem demùm veniant, Marc. & Luc. c. l.? Vel* ob metum Pontificium & Sacerdotum id tùm nondùm sunt ausæ; cum perturbatæ & timore plenissimæ essent: *Vel* ob temporis angustiam ungventa exactè parare non potuerunt. Itaq́; cum in Galilæam ad suos reverti cupiunt, Priùs eo officio exacto Sabbatho defungi cupiunt. 23. *An ipso Parasceves die unguenta & aromata parârint, ut Lucas C.* 23. *V.* 54. 56. *An Sabbatho jam exacto, ut Marc. C.* 16 *v.* 1. *dicere videtur? Quidam* diversas mulieres ab utroq́; intelligi censent. *Alii* Lucam indefinitè loqui putant. *Alii* aliter. *Tutissimè* dicitur, ipso parasceves die jam emisse aromata, quod *Lucas* dicit, & exacto Sabbatho præparasse, ac so emerunt in *Marco per plusquamperfectum* reddendū esse, *emerant*, sc. jàm Parasceves die ante Sabbathum, prout apud Hebræos unum præteritum omnes præteriti formas, & sic etiam plusquamperfectum, complectitur, & *Aoristi* apud Græcos id similiter faciunt. *V. Passional.* §. 39. 4. *Si resurrectio non accelerata fuisset, an caro Christi corruptionem vidisset?* Nequaquam. Nullo enim modo

 corrum-

corrumpenda fuit, *Psal.* 16. v. 9. 10. Et â morte teneri eam impossibile fuit. *Act.* 2. v. 24. Erat enim ipsius Verbi & Filii DEI caro, cum quo personaliter unita, & à quo nullo casu separanda erat. Oleo lætitiæ ultra consortes uncta erat, *Psal.* 45. v. 8. Et non ad mensuram, *Joh.* 3. v. 34. Ac utcunq; per causas naturales ut sic & secundùm se spectatas, corrumpi potuisset: *Per causam tamen superiorem, ejusq; consilium*, naturales istæ causæ impeditæ fuissent, ne in actum secundum, putrefactionem ipsam, erumpere potuissent. Decrevit enim DEUS ab æterno hanc carnem â corruptione præservare. *Psal.* 16. v. 9. Simile de grano *Joh.* 12. v. 24. de mori ac perire explicandum, non putredine post mortem, nec similia in omnib. respondere necesse est.

23. 15. *Cur in horto Golgathæ vicino Christus sepultus?* In horto sepultus, *partim* quia Judæi extra Vrbes sepulcreta sua habebant in hortis, prædiis, & locis ad id destinatis, prout & hodiè in multis Germaniæ locis extra Vrbes cœmitertia ad sepeliendum habentur, & laudabiliter: *Partim* ut initio passionis, quæ in horto cepit: *Passional.* t. 32. finis responderet, & extremus ejus actus in horto susciperetur, ac sic Christum ea bona reparare ostenderetur, quæ in horto â primis parentibus sibi & posteris amissa erant, ac recursum nobis ad Paradisum patere demonstraretur: *Partim ut* virgam de radice Jesse Christum esse, *Esai.* 11. v. 1. constaret, quæ iterùm ex morte progerminatura esset, nullibiq; commodius, quàm in horto id præstare posset, Et nostra corpora instar graminis virentis, *Esai.* 66. v. 14. ê morte reductura esset: *Partim ut* sepulcro nostro omnes delitias humanas sepeliri ostenderet, & ita voluptatibus frui nos debere doceret, ut semper sepulcri memoriam animo circumferamus, Et sepulcri cogitatio voluptatum mundi in nobis sit extirpatio: *Partim ut* fragilitatis humanæ admoneret, quâ omnis caro fœnum, & dies ejus tanquam flos agri, *Esai.* 40. v. 6. *Syrac.* 14. v. 18. *Jac.* 1. v. 10. *In viciniâ autem Golgathæ* ob instans Paschatis festum sepultus, quod ad istam vesperam inchoare debebat, eoq; procul deportari non poterat. DEUS *a. mirabiliter hæc gubernat*, ut & Apostoli resurrectionem in viciniâ viderent, & testes ejus ipsi hostes etiam esse possent, ac resurrectionis veritas eò pleniùs ab omnib. agnosceretur

retur

getur, nec Apostoli doli, furti, aut ullius protervi conatus in corpus Christi commissi, suspecti esse possent. 16. *Quomodo tres dies & noctes in corde terræ, h. e. sepulcro fuisse Christus dicatur, Matth. 12. v. 40. Cum vix unum solidum diem & noctem in eo jacuerit?* Quia reliquorum dierum & noctium partem in eo jacuit, vesperam nempe Parasceves, quâ sepultus, & diluculum secundi diei post Sabbathum. Primi diei vesperam, & extremum secundum totum, & tertii initium ac diluculum in sepulcro fuit. Hoc tres dies dicitur more in Scripturis usitato, *quo partes & initia rerum nomine totorum & rerum ipsarum dicuntur.* Et vulgò *duplicatio temporis* dicitur. 17. *Cur integro Sabbatho in sepulcro quiescere voluerit?* Ut veram quietem nobis promereretur, & Sabbathū ex Sabbatho ducere possemus, *Esa.* 66. v. 23. Ut tripliciter Christus quievit, anima in manibus patris, caro in sepulcro, λόγος in carne, potentiam suam non exserendo: Sic triplex nobis quies parta, animæ nostræ in DEO reconciliato, *Sap.* 3. v. 1. *Rom.* 5. v. 1. 10. Corporis in sepulcro, *Esa.* 26. v. 20. Et DEI in corde nostro, ubi quasi Sabbathum suum egit, tanquam Abba noster. *Rom.* 8. v. 15. 2. *Cor.* 6. v. 16. 18. *Conf. t.* 26.

24. 18. *Forma sepulcri Christi qualis?* Variè de formis sepulcrorum Judaicorum scribitur. *Vid. Casaubon. ex.* 16. §. 98. 122. Qualis olim vera sepulcri Christi figura fuerit, incertum hodiè est, & prisca figura multum immutata, ac quæ hodiè in templo supra sepulcrum Hierosolymis conspicitur, & à peregrinatoribus ad ea loca describitur, multum à veteri figurâ recessit, quod *Baronius* fateri cogitur, *n.* 187. Per duas n. januas in sepulcrum hodiè proceditur. At olim παρακύψαι, protenso collo, ac corpore leviter inflexo introspicere in illud licuit. *Ioh.* 20. v. 5. eoq; sine ostiis fuit. *In sacris* ut *alienum* hominis divitis, novum, in horto situm, in petrâ excisum, ut ditiores solent, *Esai.* 22. v. 16. dicitur. Quæ de vestibulo ejus *Baronius*, *aliiq;* commentantur, similiter incertia-nia sunt, & nullâ solidâ authoritate fundata. 19. *Quinam sepulturæ Christi comites?* Mulierculæ quædam nominantur, quæ è regione sepulcri sederunt, actum sepulturæ adspexerunt, quorsum Corpus, & quomodo reponeretur, cognoverunt, & vngventa,

quibus Sabbatho exacto Corpus inungerent, paraverunt? *Quidam & Mariam Virginem ad*fuisse disputant, ut *Metaphrastes*, qui usq; ad resurrectionem perpetuò eam sepulcro assedisse scribit. Sed *Evangelistæ* nihil de hoc, & cum sepulcrum militib. cinctum ac custoditum esset, parum decorè isti comitatui S. *Virgo* interfuisset, parumq; tutò etiam in viciniâ horti fortè delituisset.

25. 20. *Cur Pharisæi & Sacerdotes custodiâ muniri & obsignari sepulcrum à Præside voluerint?* Solus *Matthæus C.* 27. *hanc* Historiam habet. Ratio est, *Vel* quia omnimodè Resurrectionem Christi impedire volebant, & falsitatis prædictionem Christi de resurrectione arguere cupiebant, futuram n. eam ex prodigiis mortis, & sepulturâ conjicere poterant, Et præ furore in perpetuum eum morte obrutum manere exoptabant: *Et* ipso Sabbatho *Matth.* 27. *v.* 62 hoc postulant, ac hostilia cupiunt. Cum aliàs varie Sabbathi violationem Christo objecissent, *Matth.* 12. *v.* 5. *Marc.* 3. *v.* 2. *Luc.* 6. 13. 14. *Joh.* 5. & 9. Furor n. quietem non indulgebat: *Vel* quia fraudem discipulorum metuebant, ne illi fortè corpus furarentur, & resuscitatum dicerent, eamq; hoc pacto præcavere voluerunt, *Matth.* 27. *v.* 64. *Vel* quia plebis errorem & fidem metuebant, si ea Christum resurrexisse resciret, ut omninò pro Messiâ redivivo & immortali eum coleret, quem vivum in multis colere inceperat, Quod illi omninò avertere, si possent, volebant. 21. *Cur non statim à morte Christi hoc postulârunt, cum latronum crura frangi, ipsosq; de crucibus deponi peterent?* Quia honorificâ illâ sepulturâ, quâ concessione Præsidis à Josepho honestatus Christus erat, impediebantur, cum viderent vel audirent, ita honorificè à propriis collegis Christum sepultum esse, timere ceperunt, ne id gloriosæ resurrectionis præludium esset: *Vel* præ furore non statim de medio aliquo cogitare potuerunt, qvo ullo modo resurrectionem Christi impedirent. Postea hoc demum, ubi varia cogitant, incidit, & ut illud exequerentur, *ipso Sabbatho custodiam militarem à Pilato efflagitant*, Saxum sepulcri obsignant, sepulcrum ipsum armatis vigilibus circumdant, & sic quantum in se, sufficienter resurrectionem impedire cogitant. *DEI autem providentia* hæc omnia ad resurrectionem certiorem, illustriorem, & celebriorem reddendam direxit. *V. Dan.* 9. *v.* 24. *Mich.* 7. *v.* 19.

26. 22.

26. 22. *Cur sepeliri voluit Christus? Partim propter se, partim propter homines.* *Propter se*, ut verè se mortuum esse ostenderet. vaticinia Prophetarum de Sepulturâ suâ agentia adimpleret, *t.* 15. Mysticum illud Sanctificationis Sabbathum, quo peccata continuis pœnitentiæ exercitiis sepelienda, & ab impiâ operatione quiescendum est, *Rom.* 6. *v.* 4. 6. 7. figuraret, ac veritatem mortis suæ certiorem nobis redderet. *Propter homines*, ut unà omnium peccata secum sepeliret, & in æternum à facie DEI absconderet, *Dan.* 9. *Mich.* 7. *V. t.* 25. Nostra cœmiteria & sepulcra sanctificaret, & nos inde se reducturum ostenderet, prout semetipsum vivum ex sepulchro reduxit, sepulcri horrorem excuteret, maledictionem everteret, resurrectionis fiduciam assereret, aditum nobis ad æternam requiem pararet, & exemplum patientiæ & mortis sufferendæ suppeditaret. *Veteres tres fines* sepulturæ Christi statuunt: *Veri* probationem in mortis Christi certitudine, *spei* collationem in nostræ sepulturæ sanctificatione, *& exempli imitationem* in spirituali peccatorum sepelitione. *Conf. t.* 23.

27. Ita *Proximum Resurrectionis antecedens* visum, sepultura: Sequitur *Resurrectio ipsa cum Connexis suis.* Ubi nonnulla *de Resurrectione ipsâ, ejus modo & fine, alia de circumstantiis ejus, loco, tempore, & personis quæruntur. De Resurrectione ipsâ* ejusq; modo & fine sequentia quæruntur. 1. *Cur nullus Evangelistarum ipsam resurrectionem secundum se & actum suum proprium descripserit, & quomodo, quo temporis articulo, & quib. circumstantiis facta, sed apparitiones tantum post resurrectionem factas?* Ut mulierum ad sepulcrum excursum, Angeli de cœlo descensum, lapidis remotionem, variasq; Christi apparitiones. *Vid. Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *& Iohan.* 20. 21. Ratio hujus est, quia Evangelistis propositum fuit, *ea inprimis Christi gesta describere*, quorum vel ipsi αὐτόπται & conspectores proprii fuissent, vel ab iis accepissent, qui oculati testes & fide digni essent. *Ipsam autem Resurrectionem, & quomodo facta, nullus hominum vidit & sensit*, cum extra omnium conspectum Christus resurrexerit vigilib. attonitis, nihilq; videntibus aut animadvertentibus, nec cœterorum quoquam præsente: Indeq; nemo dicere potest, quâ ratione Christus redivivum corpus ex sepulcro erexerit, quâ majestate lapidem penetrârit, quo angelorum ministerio, gaudio,

gaudio, consortio, & congratulatione exceptus, quo horæ momento egressus, quid immediatè post resurrectionem egerit, & similia. *Cur ita occultè resurgere voluerit*, etsi causæ nobis non liqueant, ipse tamen habuit. *Fortè* ideò factum, ut sequentibus apparitionibus fidelium animos magis erigeret, fidem confirmaret, & regnum suum non cum externis obseruationibus venire doceret, *Luc.* 17. *v.* 20. Ac sapientiam mundi confunderet, quæ triumphos suos notabilibus signis ubiq; ostentare solet. Unde nec dum omnia ei subjecta esse videmus, *Heb.* 2 *v.* 8. In extremo die demùm gloria ejus omnibus manifestè apparebit. *Colos.* 3. *v.* 4. *Tit.* 2. *v.* 13. *Sic & descensum ad inferos* nemo descripsit, quia similiter extra hominum conspectum peractus, nulli visus, vel à vidente auditus fuit. *V. t.* 57. Veritas tamen utriusq; satis ex Scripturis patet.

28. 2. *An magnæ difficultates & discrepantiæ Evangelistarum in describendâ resurrectione occurrant, ut vix interdùm conciliari possint?* Ita visum *Maldonato in C.* 28. *Matth. v.* 1. Quòd nec alii Evangelistæ cum *Matthæo*, nec ipse secum, nec *Marcus* secum, nec alii inter se conveniant. Et *Toletus in C.* 20. *Iohan.* nullâ in re Evangelistas magis sibi adversari videri ait, quàm in historiâ resurrectionis describendâ. Ad similia *Barradius T.* 4. *l.* 8. *c.* 1. *& Lapide in C.* 28. *Matth.* aliiq; inclinant. *Casaubonus ex.* 16 *§.* 113. tot enantiophanias se non animadvertere ait, qvanquam difficultates aliquot fateatur. Sed *non deesse nodos aliquot* in hac historiâ, si non difficiliores, ac in passione, saltem æquè difficiles, non facilè negandum, Et *t.* 36. *seq. pluribus* constabit. Vetusti etiam *Patres* non sine difficultate historiam hanc esse censuerunt. *Hieronymus ep.* 150. *ad Hedib.* caput 16. Marci in dubium vocat, an genuinum sit, an potiùs adjectitium, quòd reliquis contrariari videatur, & in Græciæ libris non legatur. *Erasmus in C.* 28 *Matth. ab Origene & Chrysostomo* nihil in id caput annotatum miratur, Cum in cœtera omnia annotârint, Et causam putat, quòd difficile illud cum reliqvis Evangelistis conciliare ipsis visum fuerit. Sub Papatu *Concordantia Passionis* resurrectionem omisit, quòd eam in harmoniam redigere difficile judicaret. Veras tamẽ contrarietates hic non occurrere *t.* 36, *seq.* patebit. 3. *An lapide sepulcrali penetrato & clauso manente*

Chri-

stus resurrexerit, an aperte? *Prius* Circumstantiis historiæ convenit, quæ revolutionem lapidis ab angelo post resurrectionem mulierum gratiâ, ut illæ sepulcrum videre & introire possent, factam docet, non Corporis Christi gratiâ, quod ut jam gloriosum obstaculis teneri non potuit, quo minùs è morte pro placito rediret, & impedimenta vel penetrando, vel alio modo disijceret. Nec ita potenter Christus Filius Dei per resurrectionem definitus fuisset, *Rom.* 1. *v.* 4. Si angeli operâ in revoluendo â sepulcro lapide indigvisset, quò resurgeret. Et *Patres* communiter penetrato lapide resurrexisse docent, ut *Justinus*, *Nazianzenus*, *Nyssenus*, *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Theophilactus*, aliiq;. *Quidam* etiam historiis & miraculis id probant, *Ut â Lapide in C.* 11. *Esai. v.* 10. Quibus quantum fidei habendum sit, ex *similibus miraculis* istorum seculorum facilè judicari potest. *Posterius Reformatorum* pleriq; assumunt, & corporum penetrationem etiam divinitùs impossibilem censent, Ut *Tr. de. Ess. alicubi s.* 4. *t.* 88. *allegavi. Patres* quidam revoluto per angelum lapide resurrexisse docent, ut *Hilarius & Leo Romanus. Quæstio de rei modo*, non ipsâ articuli substantiâ est, quæ in eo, ut Christum verè â mortuis resurrexisse credatur. Ex *Reformatis Marloratus in C.* 28. *Matth.* Christû occluso sepulcri ostio grandi illo Saxo, ac *Calvinus in harm. & Musculus in C.* 28. *Matth.* ante revolutionem lapidis eum resurrexisse docent. *Chamier T.* 2. *l.* 6. *C* 7. *t.* 23. Coniici id ex sacris posse concedit, non tamen necessariò colligi. Verisimilem sententiam esse, & totam suam authoritatem â *Veterib.* mutuari, quorum is sensus fuerit, cui quidem valdè repugnare se nolle ait. *Altingus not. ad disp. D. Behem de Cœlo q.* 9. penetrationem concedit, sed cum cessione corporum. *Alii* aliter.

29. 4. *Cur non Christus ipse, cum resurrexit, lapidem revolvit, sed post resurrectionem ab angelo demùm id fieri permittit?* Facile hoc Christo factu fuisset, cum propriâ virtute corpus suum â morte erigeret, ut & lapidem sepulchralem uno verbo aut nutu revolvisset. Sed *propter nos* angelorum ministerio uti maluit, *Cùm*, ut gloriam suam ostenderet, ad quam per resurrectionem pervenerat, quâ & Angelorum operâ pro lubitu uti posset: *Tùm* ut cœleste testimonium resurrectionis haberet, & nuntium ejus

ad mulieres, ac qui occasionem introëundi in sepulchrum & videndi locum illis suppeditaret, acciperet. 5. *An propriâ virtute à mortuis resurrexerit, an alienâ & DEI patris?* Prius negant *Photiniani*, ut naturâ DEum esse negent, *V. Socinum de Filii Dei existent. arg. 9. p. 115. seq. Smalcium de pers. Christi Co. Frantz. t. 71 72. & lib. d. div. Christi*, C. 13. *Catech. Racoviens.* C. 11. *de officio Chr. Ostorodum p. 2. C. Tradel.* C. 10. *Eniedinum in explic. dicti Joh. 2. v. 19. Anonomum de div. eminentiâ Christi*, C. 13. p. 263. 264. *aliosq.* Sed contrarium ex *Joh.* 2. *v.* 19. ubi resuscitandi voluntas, Et *C.* 10. *v.* 18. Ubi ejusdem potestas, & *Act.* 1. *v.* 3. Ubi ejus actus & veritas, Et *Joh.* 5. *v.* 19. ubi operandi cum patre æqualitas, quâ ὁμοίως *ac similiter* & Filius facit, quæ Pater, Et aliis locis, ubi emphatica vitæ, ducis, authoris vitæ, & habentis vitam in semetipso, appellationis majestas Christo attribuitur, *Joh.* 5. *v.* 26. 1. *Joh.* 1. *v.* 1. 2. *Act.* 3 *v.* 15. patet. Qui omninò seipsum è morte in vitam propriâ potestate revocare posse debet, ut alibi pluribus. Et aliàs potentiam divinam Christo à DEO datam *Photiniani* concedunt, ut *Tract. de multipræsentia* §. 29. ostendi, Eaq; satis è miraculis eluxit. Cur in proprio corpore suo resuscitando tantoperè eam negant?

30. 6. *An & humana Christi natura activè ad resurrectionem concurrerit?* *Reformati* communiter negant, *Polanus l.* 6. *Syntag.* C. 23. *Bucanus loc.* 26. *q.* 4. *Beza, Sadeel, Amiingus, aliiq.* Et ex virtute naturæ suæ, ac essentiâ ejus non concurrit, sed ex unione & communione intimâ omnium Idiomatum divinorum, inter quæ & vis vivifica, *Joh.* 5. *v.* 21. 25. 26. *V. t.* 31. Et potestas ab æterno verbi propria per essentiam, in tempore facta est carni appropriata per unionem. Ad eam a. & potestas resuscitandi pertinet. Undè toti supposito, *Christo*, resuscitatio tribuitur, *Joh.* 2. & 10. Et ipse caput suum exaltaturus dicitur *Psal.* 110. *v.* 7. Ac quia ob justitiam nostram resurrexit, *Rom.* 4. *v.* 25. Quod apotelesma officii Christi est, quale quid Christo secundùm utramq; naturam competit, nec à resuscitatione corporis humanitas Verbo etiam in morte unita manens excludi potest. 7. *An per antecedentem passionem meruerit resurrectionem Christus?* Ita quibusdam *Pontificiis*, ut *Lombardo, Thomæ, Bellarmino, Suaretzio*, & *Reformatis*, ut *Zanchio, Piscatori, Ravenspergero*, contradicente tamen *Calvino l.* 2. *Instit.* C. 17.

§. 6.

§. 6. & indifferenter illud dogma habente Junio in l. 5. Bellarm. d. Christ. c. 9. n. 1. Similiter & Photinianis, Socino, Smalcio, Ostorodo, aliisq; visum. Verius contrarium. Ut non sibi, sed nobis natus, & passus est; ita & non sibi, sed nobis resurrexit, Rom. 4. V. 25. Confer. Esai. 43. v. 24. C. 9. v. 6. Joh. 17. v. 19. 1. Cor. 1. v. 30. 1. Tim. 2. v. 6. Et per unionem tantam gloriam adeptus est Christus, ut angelis sublimior factus fuerit. Heb. 1. v. 5. seq. Ac ex gratiâ illi donata est ea, Phil. 2. v. 9. Unde gloriam sibi primùm mereri opus non fuit. Nonnisi ordine passionis & obedientiæ ad gloriam pervenire debuit, ac exaltationem præcedere debuit exinanitio, Et hoc volunt loca Luc. 24. v. 26. Phil. 2. v. 9. 10. 1. Pet. 1. v. 11. aliaq;. Sed mereri sibi aliquid debuisse, Scriptura nusquàm dicit. 8. Rectenè Verbum ἐγείρειν de Christo usurpatum per resurgere reddatur, an potius excitare? Posterius censent Photiniani. Sed per consequens etiam resurgere notare partim ex Biblico, & bonorum authorum usu patet, Vid. Matth. 8. v. 15. 26. C. 9. v. 5. 6. 7. 24. C. 26. v. 46. C. 27. v. 52. & passim, V. & Lexicographos in Verbo ἐγείρω καὶ ἐγείρομαι: Partim ex ipsâ Photinianorum versione, qui per resurgere citata loca & multa alia, ut Marc. 2. 3. 4. 10. 13. Luc. 5. 6. 7. 8. Joh. 5. 7. 11. in sua N. T. versione verterunt: Partim ex textuum in sacris comparatione, quâ & Christum excitatum esse, & verè resurrexisse â mortuis consequenter deducitur. Non debent ergò in aliis reprehendere, quod sibi volunt licere.

31. 9. An necessaria Christi resurrectio fuerit? Omninò. Idq; tùm ratione DEI patris, qui decreverat & prædixerat eam, t. 6. seq. Et cujus gloria ac potestas ita elucescere debebat, Joh. 17. v. 1. Rom. 6. v. 4. Ephes. 1. v. 19. Heb. 13. v. 20. Tùm ratione Christi, qui proprius DEI filius erat, adeoq; â morte teneri impossibile erat. Act. 2. & 13. Complementum omnium vaticiniorum V. T. esse debebat, Luc. 24. v. 44. seq. inter quæ & multa de Resurrectione, §. 7. seq. Et corpore divino præditus, inter quæ & vis vivificandi, Johan. 5. v. 21. 26. C. 6. v. 51. C. 14. v. 6. Singulare officium redimendi mundum impositum habebat, quod exequi non potuisset, si in morte mansisset, 1. Cor. 15. v. 14. seq. &c. Tùm ratione nostri, ut redemptio, justificatio, & renovatio nostra perficeretur, fi-

des nostra confirmaretur, spes obsignaretur, & Nos ad beatã vitam resuscitaremur, *Rom.* 4. 5. 6. 8. *Colos.* 2. 3: *Joh.* 11. 14. & alibi. *Conf. Rom.* 6. *v.* 4. *seq. Gal.* 2. *v.* 19. *seq* 10. *Secundùm quam Naturam Christus resurrexerit?* Secundùm humanam. Carne enim mortuus, 1. *Pet.* 3. & 4. Et ea passionis ac mortis propriè capax fuit. Consequenter & resurrectionis. *V. Passionalia, t.* 57. *Ex Reformatis quidam* secundùm utramq; Naturam resurrexisse ajunt, ut *Sohnius, Herbornenses, & alii.* Sed rectiùs id negatur. Et *in utraq; naturâ, non secundùm utramq;* resurrexisse asseritur: *Suppositum & persona* resurgens DEus & homo fuit, & veritatem suppositi in utraq; naturâ subsistentis, ex utraq; compositi, & resurgentis notat τὸ in utraq; naturâ: *Secundùm utramq;* determinationẽ ejus formalem. *Aliud etiam*, Resurgere simpliciter, hoc carne factum: *Aliud*, propter nostram justitiam resurgere. Hoc apotelesma ad officiũ Christi pertinens est, eoq; Christo secundùm utramq; naturam competit, & de eo prædicatur.

32. 11. *Quomodò resurrexerit?* Hoc specialiter inexplicabile est, Cum nulli resurrectio visa, aut ab eo, qui vidisset, audita, *t.* 27. Generaliter, quòd *invisibiliter*, miraculosè, *t.* 28. gloriosè, potenter, fructuosè & utiliter, *t.* 31. resurrexerit, dicatur. 12. *Quo fine resurrexerit?* Finis is partim DEI, partim Christi, partim nostri ratione spectari potest, & ex *t.* 31. satis constat. 13. *Quomodò specialiter ob justificationem nostri resuscitatus dicatur, Rom.* 4. *v.* 25? *Papistæ* justificationem in interno habitu sanctificante, non merâ peccatorum remissione, consistere inde colligunt, ut *Bellarminus l.* 2. *d. Justif.* C. 6. *Pererius in* C. 4. *ad Rom. d.* 10. *aliiq;*. Sed non illud intendit *Apostolus*, Cum illo ipso capite *v.* 5. 6. 7. *seq.* Justificationem omninò in non imputatione peccatorum, h. e. remissione consistere doceat & probet: *Sed specialiter* ob justificationem nostram Christus resuscitatus dicitur, *partim*, quia si non resurrexisset, Nos adhuc in peccatis essemus, 1. *Cor.* 15. *v.* 17. Nondum ab illis absoluti; Stipendio enim & stimulo peccati, quod mors; *Rom.* 6. & 1. *Cor.* 15, adhuc ut pœnâ attineremur, & sic plenè illud devictum non fuisset: *Partim* quia resurrectio apertum est indicium, plenè ipsum pro omnibus peccatis victimam exhibuisse, hostes universos devicisse, *t.* 31. *Partim* quia resurrectionis fidelis applicatio

tio ipsa fidelium à peccatis est absolutio. Nam ut Christus ut reus pro hominib. mortuus: Sic ut justus resurgens justificationis Causa, pignus, complementum, & conservatio est, unde per resurrectionem Christi ad salutem conservamur, & à damnatione liberamur, *Rom.* 8. *v.* 24. Sicq; ea ad justificationem nostram coram DEO omninò pertinet, ac specialiter illi adscribi potest. *Conf.* 1. *Cor.* 15. *v.* 17. *seq. Ephes.* 2. *v.* 5. *Colos.* 2. *v.* 12. *seq. Phil.* 3. *v.* 8. *seq.*

33. 14. *An pro solis electis resurrexerit, an pro omnibus hominibus, etiam impiis & pereuntibus?* Prius illi ex *Reformatis* defendunt, qui particularitatem dilectionis ac vocationis DEI, & redemptionis Christi defendunt, ut *Bucanus, Polanus, Beza, Tilenus, aliiq;*. Contrarium ex universalitate meriti Christi, *Esai.* 53. *Joh.* 1, 3. *Math.* 18. 2. *Cor.* 5. 1. *Pet.* 2. *Hebr.* 2. 1. *Joh.* 2. omnibusq; illis dictis patet, quae Christum pro toto mundo, pro omnibus in eo hominibus, & pro ipsis reprobis ac pereuntibus mortuum esse docent, de quibus *alibi. Quidam Reformatorũ* id omninò etiam fatentur, *Vt Ludovicus & Johannes Crocius, Pareus,* Cameron, *Combachius, Scharpius, Hemmingius, aliiq;*: *Omnesq; illi* id fateri coguntur, qui etiam *impios virtute resurrectionis Christi* resurrecturos statuunt, ut *Calvinus, Junius, Scharpius, alijq;*, Ut plurib. *alibi* docetur. Fructus quidem resurrectionis non fiunt participes, sed justo DEI decreto ad interitum resurgere coguntur: Resurrectio tamen & salus aequè impiis à Christo acquisita, etsi applicatio acquisitae in impiis deficiat. Plurib. Tract. d. Conversf. C. 6. agetur. 14. *An & ideò resurrexerit, ut legalis foederis forma, hoc fac & vives, Levit.* 18. *per eam sanciretur?* Sic *Tilenus & Bucanus* volunt. Sed officium Christo proprium non fuit legale, sed Evangelicum, ac melioris foederis, quàm legalis, author est, *Heb.* 7. *v.* 22. C. 8. *v.* 6. Et promissiones ejus, quas adventu suo confirmavit, Evangelicae sunt, non legales, *Rom.* 15. *v.* 8. Sed hae ob Carnis infirmitatem inutiles nobis factae sunt, *Rom.* 8. *v.* 3. Nec ergò à Christi resurrectione confirmari opus habuerunt. Aliàs legis obedientiam perfectè praestitit, & hoc resurrectione apertè demonstratum fuit: formulam tamen legalem per eam *confirmari* nihil necesse fuit, *cum infirmari* debuerit.

 34. 16.

34. 16. *Quali corpore resurrexerit?* Glorioso, immortali, impassibili, & mortalibus infirmitatibus non ampliùs subjecto, Spirituali, cibi, potus, vestium minimè indigo, & quod cibum ex liberâ dispensatione, non naturæ necessitate ad veritatem manifestationis, non sublevationem infirmitatis, cepit. *V.* §. 48. Agili, claro, fulgido, & quæ cætera gloriosi corporis attributa esse solent. *Luc.* 24. *v.* 31. *Act.* 13. *v.* 34. *Rom.* 6. *v.* 9. 1. *Cor.* 15. *v.* 48. *seq.* *Phil.* 3. *v.* 21. *Photiniani* negant ante ascensionem corpus gloriosum habuisse, ut *Ostorodus, Smalcius, Socinus, aliiq́.* Contrarium ex dictis allegatis patet. 17. *Cur in & cum terræ motu, vel paulo post sequente eo, resurgere voluerit, Matth.* 28. *v.* 2? *Partim, ut* vaticinium de cœlo ac terrâ movendâ, *Hag.* 2. *v.* 7. *&* montibus subsulturis, *Psal.* 68. *v.* 16. impleretur, quod & de egressu è sepulcrô intelligi potest: *Partim*, ut gloria ac potentia Christi resurgentis significaretur, mulieres resurrectionem faciliùs crederent, sepulcri custodes excitarentur, & ad divinam Christi resurrectionem testandam, ac Judæis indicandam, incitarentur, Sathanam, & infernum descensu ad inferos Christum eversurum esse notaretur, *Os.* 13. *v.* 14. Prædicationem Evangelii de Christo mortuo & resuscitato totum Orbem commoturam, Christum potestatem in cœlo & terrâ nactū esse, & ad eductionem ex Ægypto respectum aliquem obtineri indicaretur. *Terræ motus mortuo Christo velut campana sepulcralis fuit: Idem resurgenti velut inauguralis fuit.* Erdbieben ist in der Pasion die Todten-Glock/ vnd in der Aufferstehung die fest vnd Sturm-Glock Christo gewesen.

35. Ita *Resurrectio ipsa cum suo modo, & fine* fuit. Sequuntur *Circumstantiæ, Tempus, Locus, Personæ*, de quibus sequentia quærantur. 1. *Quomodo tertio die Christus resurrexerit, cum non tres dies in sepulcro manserit?* Quia tertio inchoato resurrexit, & cæterorum partem aut totum in sepulchro exegit. *V.* §. 23. 2. *Cur tertio præcise die resurgere voluerit, non secundo, vel quarto?* Quia à Prophetis prædictum erat, tertiâ die resurrecturum, *Ose.* 6. *v.* 2. Et typis ac historiis nonnullis, ut Isaaci, Josephi, Jonæ, id præfiguratum erat, §. 12. 13. Undè secundùm Scripturas 3. die resurrexisse dicitur, 1. *Cor.* 15. *v.* 4. Ac à Christo ipso id prædictum erat, §. 14. *Primo die noluit*, ut verè se, non in speciem mortuum esse ostenderet. *Secundo* noluit,

luit, ne Sabbathum Judaicum violaret, sed honestè Synagogam sepeliret, ac veritatem mortis eò solidiùs demonstraret, cum quosdam velut mortuos jacentes ac elatos postea iterùm revixisse constet, nec satis solidè mortuos fuisse inde consequens sit, ut *Decad.2. Misc.d.9. t.23.* *Vltra triduum* noluit, Ne resurrectionem sperantes nimis moraretur, & fides discipulorum ejus periclitaretur, corruptionis sentiendæ suspicionem de carne suâ inferret, & custodibus adhuc appositis resurgeret, ne illis digressis Judæi vana quædam cavillari potuissent. Ad extremum diem differre noluit, quia primitiæ dormientium esse debuit, *1. Cor. 15. v. 20.* 3. *Cur feriâ post Sabbathum primâ, h. e. die solis & Dominicâ, Apoc. 1. v. 16?* *Armeni* die Sabbathi resurrexisse, alii alio die putant. Sed die Sabbathi toto quievit, *t. 23.* Et diem solis seu dominicam fuisse circumstantiæ historiæ docent. *Ratio est*, Quia eo die creationis opus cepit, *Gen. 1. v. 1.* Rectè ergò & recreationis eodem incepit, Cujus maximum momentum est resurrectio. Et in V.T. primitiæ frugum altero post pascha die offerri debebant, *Lev: 23. v. 12.* post quod plena messis sequebatur. Sic Christus tanquam primitiæ dormientium, & post eum in supremo die plena messis sequetur, *1. Cor. 15. v. 28.* Hinc in memoriam resurrectionis ista dies loco Sabbathi cultui divino destinata, *t. 60.*

36. 4. *Cur paulò ante solis exortum, vel ipso sole oriente? Quidam* mediâ nocte resurrexisse putant, ut *Ambrosius, Athanasius, Nyssenus. Alii* aliquot horis post solis ortum, Ut *Augustinus.* Sed descriptioni *Evangelistarum* & circumstantiis historiæ magis congruit, sub ortum solis resurrexisse, *Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioh. 20. Partim* ut illud *Psal. 30. v. 6.* impleretur, Vesperi fletus, sed manè lætitia: *Partim ut* verum justitiæ solem se esse ostenderet, *Mal. 4. v. 2.* qui peccatorum nebulas dispelleret, corda illuminaret, calefaceret, vivificaret, & salutari influxu conservaret, ægrotis medicamen & captivis solamen spirituale præstaret. Et ut parasceves die sub tenebras se derelictum à DEO clamârat: Sic sub lucem solis omnia DEO reconciliata esse ostendere voluit.

5. *Quomodo manè resurrexerit, cum vesperâ Sabbathi mulieres ad visendum sepulcrum venerint, Matt. 28. v. 1. Vbi Christus jam resurrexerat, & lapis ab angelo revolutus fuit, quod post resurrectionem contigit, v. 2.*

Conf.

Conf. §. 28. Apparens hæc inter *Matthæum* & cæteros est contrarietas, qui omnes manè Christum resurrexisse indicant, *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Ioh.* 20. Et variæ conciliandi sunt sententiæ. *Quidam* diversas egressiones, *alii* diversas mulieres ponunt. *Baronius & Eucherius vel Faustus Rhegiensis* Vesperuginem S. hesperum intelligunt. *Sed* adverbium ὀψὲ, quo *Matthæus* utitur, temporis circumstantiam notat, non stellam, Nec hoc significatum uspiam habet. Et *Græcum textum Canonicum* dimittere, ac ad *Hebræum* Apocryphum confugere magnæ vanitatis indicium est. *Alii* aliter. *Tutissimè* dicitur, *primum mulierum ad sepulcrum excursum* hic describi, qui vesperâ magni sabbathi ipso Sabbatho jam præterlapso, *Marc.* 16. *v.* 1. Et primo post sabbathum die jam inchöante, quod ad vesperam fiebat, cum à vesperâ Judæi dies suos inchoarent, factus est, ubi ad sepulcrum videndum venerunt. *Tùm Christus nondum resurrexit*, nec terræ motus factus est, sed hæc in secundo excursu demùm contigerunt, Qui summo manè factus, ut ex *Marco, Lucâ, & Johanne*, constat, ubi Christus jam resurrexerat. Pluribus ex §. 37. hæc patebunt. 6. *Quo anno, mense, & horâ resurrexerit?* Annus & mensis ex Passionalibus §. 46. constant. Eodem enim anno & mense, quo passus, etiam resurrexit. Hora ab Evangelistis non est expressa. Sed matutinam & circa ortum solis fuisse constat, ut *ante* patuit. 7. *Quo loco? Communis* Palæstina, *specialis* hortus ad radices montis Golgathæ propè Hierosolymam situs fuit. Nam *in horto* passionis initium, in eodem & gloriæ præludium, ac Resurrectionis indicium exhibitum. *Specialissimus* sepulcrum Josephi in rupe excisum fuit, unde Christus viuus egressus est.

37. Sic & *Circumstantiæ Resurrectionis* fuerunt, adeoq; Resurrectio ipsa secundùm se fuit. Sequuntur *Consequentia ejus*, quæ tempore Resurrectionem consecuta sunt. *Suntq; propinqviora & remotiora. Propinquiora*, quæ non ita diu Resurrectionem ipsam exceperunt. *Suntq; sensibilia & insensibilia. Sensibilia*, quæ visu ac sensibus hominum percepta, & experimentis eorum occupata sunt. Talia sunt, *Mulierum ad sepulcrum excursiones, Custodum terrefactiones, Resurrectionis ab angelis annuntiationes, Variæ Christi ipsius redivivi apparitiones, Cum discipulis familiares conversationes, & variæ Conciones, In cælum ascensio, & visibilis super Apostolos in festo Pentecostes*

effusio

effusio. De quibus ordine nonnulla quæri possunt. *De mulierum excursionibus & Custodum terrore sequentia quærantur.* 1. *Cur non statim à morte Christi mulieres ad ungendum Christum convenerunt, cum Nicodemus & Josephus in ungendo eo occuparentur?* De hoc *t.* 22. actum. 2. *Quo die unguenta & aromata sua paraverint, an prosabbatho, an feria post Sabbathum?* De hoc *c. l.* dictum. 3. *An Maria Magdalena unâ vice ad sepulcrum venerit, an gemina?* Quidam unâ, alii duplici vice venisse putant, *V. t.* 36. Et hoc Circumstantiis Evangelistarum convenientius, ex quibus bis eam venisse colligitur. *Primò* cum Mariâ Jacobi & Joseph vesperâ ipsâ magni Sabbathi, finito eo, & nondum aurorâ sequentis diei illucescente, ut videret sepulcrum, an à militibus obsideretur, ut Sacerdotes jusserant, & hoc à *Matthæo, C.* 28. *v.* 1. describi: Ac tùm nondũ Christum resurrexisse, nec terræ motum factum esse; sed subjungi hunc *à Matthæo*, non quòd immediatè successerit, sed quòd postea in secundo ad sepulchrum excursu secutus fuerit: Et hoc frequens est in Evangelistis, ut unus immediatè aliquid Priori connectat, Cui tamen ex alio quædam interserenda sunt. *V. Matth.* 9. *v.* 1 2. 10. *Marc.* 5. *v.* 22. *Secundò* cum aliis etiam mulieribus, & ut ungeret defunctum, & hoc sub auroram primi post Sabbathum diei factum, Tùm Christum jam resurrexisse, terræ motum intercurrisse, ac angelicam de resuscitato Christo concionem habitam fuisse. Et hoc *à Marco, Lucâ, & Johanne C.* 20 describi. 4. *Si vesperâ primus excursus factus, quomodo lucescere vesperam in unam Sabbathorum Mathæus dicat?* Nempè quia more Judæorum omnis dies à vesperâ initium sumit, adeoq; vesperâ præcedentis est initium sequentis diei Initio autem diei lucescere dies dici potest, hoc enim lucescere incipere est, quia tùm initium suum capit. Sic Sabbathum vesperâ parasceues illucescebat, *Luc.* 23. *v.* 54. Quia initium capiebat.

38. 5. *In secundo ad sepulcrum excursu an sola Maria ad sepulcrum venerit, quod Ioh.* 20. *v.* 1. *An cum aliis comitata, quod Marc.* 16. *& Luc.* 24. *dici videtur?* Cum aliis comitata venit, ut ex *Marco & Lucâ* patet. Sed *Iohannes* solam exprimit, non tamen alias secum habuisse negat. & quod illi deest, ex aliis supplendum est. *Sola ipsa Petro & Iohanni* nuntium de ablato Christi corpore tulit, ac primam Christi revelationem soli ei factam describere voluit, *v.*

14. Quæ Johannes isto capite subjungit, eoq; solo ejus nomine expresso contentus fuit. *Cætera à reliquis Evangelistis petenda reliquit;* *Vel* dux cæterarum ferventior & operosior illis fuit, ut quidam volunt, unde sola expressa. 6. *Quænam Maria illa Magdalena, an peccatrix illa apud Lucam C. 7. 37?* Ita multis *Pontificiorum* visum, ut *Maldonato, Baronio, Toleto, à Lapide in C. 7. Luc. v. 27. aliisq;. Postillatoribus* etiam vulgatum est. Sed sententia nullo fundamento, præterquam antiquitate, traditione, ac tacito Ecclesiæ sensu nixa est; quorsum pleriq; defensores ejus confugiunt, Eoq; planè incerta & conjecturalis est, ut pluribus *Coroll. disc. 6. dec. 3. Miscellan. docui.* 7. *Si cum reliquis ad sepulcrum venit Maria, & angelos resurrectionem nuntiantes audivit, quomodo Corpus Christi ablatum esse sentire potuit, & non potius angelis credidit?* *Quia* simul atq; sepulchrum vacuum vidit, regressum in Urbem parare & Petro aliisq; id nunciare voluit, eoq; concioni Angelicæ non interfuit, sed cæteris mulieribus interim angeli concionati, Donec hac reversâ ipse Christus primùm in horto se ei conspiciendum præbuit. *V.* §. 42. *Quod Luc. 24. v.* 10. cum cœteris jungitur, q. & ipsa resurrectionem audiisset, & Apostolis nuntiasset, *distributivè pro varietate subjectorum, quæ ibi Lucas copulat, ex aliis Evangelistis explicandum est. Quædam* mulieres sepulcrum vacuum & Corpus ablatum nuntiârunt, v. 3. 9. Et hoc fecit Maria Magdalena, *Joh.* 20. v. 2. *Alia* resurrectionem ab angelis auditam, Et hoc cæteræ fecerunt. *Luc. 24. v. 23.* Vel si Maria & hanc nuntiavit, intelligendum est, postquam ad sepulcrum denuò revenit, angelos ipsos vidit, concionem eorum ex cæteris mulieribus audivit, Christum ipsum redivivum vidit, *Joh. 20. v. 12. 16.* Et sic cum cæteris in urbem regressa resurrectionem nuntiavit, v. 17. 18. 8. *Cur cum nuntio corporis ablati ita ad Petrum & alios Apostolos festinavit, non meliùs omnia priùs exploravit?* *Vel* quòd Judæos nondum crudelitate satiatos etiam mortuum corpus furto clàm auferri curasse arbitrata est; *Vel* quòd occultos quosdam discipulos in honoratius sepulcrum illud transtulisse existimavit, eoq; se honore ungendi Corporis privari vehementer doluit, & dolorem aliis egerere non cessavit. 9. *Quibus id nuntiavit?* Omnibus Apostolis, ut ex *Lucâ C. 24. v.* 11. 12. patet. Sed *Petrus & Johannes* specialiter *Joh.* 20. exprimuntur, quia isti

nuntio

nuntio crediderunt, eoq; ad videndum sepulcrum ipsi exierunt. Reliqui contemserunt illud, & non ad sepulcrum egressi sunt. 10. *An Petrus & Iohannes Mariæ nuntio de ablato Corpore crediderint?* Omninò, Cum apertè id *Ioh.* 20. *v.* 8. 9. dicatur, & Scripturam de Resurrectione nesciisse addatur, ac ex aliis locis satis id constet, *Vt Luc.* 24. *Marc.* 16. Ut alienè illud de fide ipsius resurrectionis ex *Patribus Cyrillus, Chrysostomus, & Hieronymus, Ex Pontific. Lyranus, Toletus, Ex parte quoad Johannem Barradius & Lapide, Ex Reformatis Piscator aliiq;* interpretentur. 11 *Quomodo in tenebris ad sepulcrum mulieres venerint, Ioh.* 20. *v.* 1. *Cum Sol ortus fuerit, Marc.* 16. *v.* 2? *Indefinitum* apud *Marcum* ἀνατείλαντος non reddendum præteritè, orto, sed Præsenter, oriente, vel sub ortum, ejusq; Principium constituto. Unde quædam exemplaria ἀνατέλλοντος in præsenti legunt, ut *Beza* testatur. Oriturus fuit sol, & crepusculum adhuc fuit, Plenè adhuc ortus non fuit: Sed radii ejus ad montes vel nubes reflexi in aurorâ apparuerunt, ac tenebræ quædam in aëre adhuc remanserunt, ipsum corpus solis nondum plenè super terram apparuit. *Aurora confinium lucis & tenebrarum est,* eoq; partìm lux, partìm tenebræ, de eâ enuntiari possunt. *Johannes* terminum â quo, cum mulieres egressæ sunt, & tum tenebræ, *Marcus* ad quem, cum ad sepulcrum venerunt, & de removendo lapide deliberârunt, tum sol in ortu esse incepit.

39 12. *Quænam cæteræ mulieres fuerint, quæ ad sepulcrum venerunt?* Præter *Mariam Magdalenam* & aliæ nominantur. Ut *Maria Jacobi, & Joses, Marc.* 15 *v.* 47 *C.* 16. *v.* 1. *Scil.* mater, *Matth.* 27. *v.* 26. Hos enim ex primo marito Alphæo susceperat, *Matth.* 10. *v.* 8. Dicitur & Cleophæ, *Ioh.* 19. *v.* 25. Quia mortuo Alphæo illi nupsit. Deindè *Maria Salome,* scilicet uxor, Mater filiorum Zebedæi, *Matth.* 27. *v.* 56. Et *Iohanna, Lucæ* 24. *v.* 10. Uxor Chusæ procuratoris Herodis *C.* 8. *v.* 3. Qui â quibusdam Regulus ille *Ioh.* 4 putatur. Reliquæ in genere nonnullæ vocantur, *Luc* 24. *v.* 1, 10. Inter quas fortè *Susanna, Luc.* 8. *v.* 3 aliæq; piæ mulieres fuerunt. 13. *Cur Maria Mater Dei nunquam inter has numeratur, an ea nulli excursui interfuerit? Quidam* veterum omninò & eam interfuisse putant, Ut *Sedulius, Nicephorus, Nazianzenus, Nyssenus, Theophylactus, aliiq. Verius* tamen contrarium. Cum non absolutè id omnes

Evangeliſtæ ſilviſſent, ſi interfuiſſet. Nam cæteris ubi adeſt, memorari ſolet, *Act.* 1. *v.* 17. Et major fidei firmitas in eâ, quàm cæteris fuit, Confer *Luc.* 2. *v.* 19. 51. Nec dubitavit de fide reſurrectionis, nec corruptionem eum ſentire poſſe ſcivit, *Itaq;* unctionis officium ſupervacaneum putavit, nec cum reliquis ad expediendum illud ad ſepulchrum excurrit. *Quidam* alias rationes addunt, ut præ mœrore exire nequiiſſe, uncturâ item a remotioribus cognatis, non proximis, apud Judæos expediri ſolere, & ſimiles. Sed incertæ illæ ſunt. 14. *Cur terræ motum poſt reſurrectionem adhibere voluerit Chriſtus?* Cauſæ ex *t.* 34. patent. 15. *Cur angelorum miniſterio in revolvendo lapide ſepulcrali & annunciandâ reſurrectione uti voluerit? De lapide t.* 29. patuit. De nuntiandâ reſurrectione ex more DEI liquet, qui in rebus arduis annuntiandis ſubinde angelorum miniſterio uti ſolet. *V. Paſſional. t.* 36. Sic in nativitate, *Lucæ* 2. & Aſcenſione Chriſti, *Act.* 1. *Marc.* 16. concionantur: Hic adhibere eos voluit, ut fides reſurrectionis confirmatior eſſet. Boni enim angeli, quia Spiritus veritatis ſunt, indubitatam fidem merentur. Ac animos hominũ hac gradatione ad credendam reſurrectionem præparare voluit Chriſtus, priusq; ſeipſum vivum illis exhibere, & per verbum ad fidem reſurrectionis homines eſſe ducendos oſtendere. *Ita primò Maria ſepulchrum vacuum narrat, deinde mulieres angelorum teſtimonium, poſt Maria ipſam apparitionem Chriſti*, poſt Petrus & diſcipuli Emauntici, ultimò Chriſtus ipſe ſe ſiſtit. Gloria etiam Chriſti hinc eluxit, ad quam in reſurrectione pervenit, *Vid. t.* 29. Et reſurrectione Chriſti nos in reſurrectione noſtra aliquando ἰσάγγελοι erimus, *Matth.* 22. *v.* 30. Convenienter inde reſurrectionis nuntii adhibentur angeli.

40. 15. *Quot angeli ad ſepulchrum Chriſti apparuerint?* Sex in univerſum ex hiſtoriâ colliguntur. *Primus* lapidem revolvit, *Duo alii* Mariæ Magdalenæ in ſepulcro ad caput & pedes ſedentes apparent, *ſextus* in ſepulcro à dextris ſedens mulieribus ad ſepulcrum reverſis, concionatur. Haud dubiè & *alii* adfuerunt Chriſto è morte reduci congratulantes, & inſervientes, Prout in talibus multitudo militiæ cœleſtis adeſſe ſolet. *V. Luc.* 2. *v.* 13. 16. *Cur unus ſuper lapidem conſederit? Matth.* 28. *v.* 2. Non laſſitudinem recreans, ſed reſurrectionis virtutem inſinuans. *Nato Chriſto in aëre* ſe-

fe librant angeli, bellaturum enim Christum significabant: *Hic sedet*, quia Victorem eum & regnantem indicat, quietem de omnibus hostibus nobis partam insinuat, sacri & vitalis sepulcri custodem ac præsidem se ostendit, & mulieribus se præconem resurrectionis, nuntium quietis Christi, Doctorem fidei, motorem spei, ac revoluti lapidis authorem exhibet. *Dices*, *Luc.* 24. *v.* 4. *stetisse dicitur*. R. *Vel* non est eadem cum *Matthæo* apparitio, sed diversa, cum ibi unus, hic duo, ibi sedens, hic stantes, ibi in stolâ alba, hic in vestibus fulgurantibus, ibi iuvenis, hic virili staturâ appareant, aliaq; diversa hic: Vel si eadem esse debet, *Io* stare *generaliter omnem situm* notat, quomodo interdum jacere notat, *Luc.* 7. *v.* 37. ut & sedere sub eo comprehendatur. 17. *Qualis pavor vigilibus ab angelo incussus fuerit?* Ingens sanè, ut commoti tremuerint, attoniti & penè exanimati fuerint, quod in magno pavore contingere solet. Causa *partim* ingens terræ motus, in quo angelus à cœlo descendit, *partim* horribilis angeli conspectus fuit, quo fulguravit, velut manus injecturus stetit, & necem minitatus est. *Finis* varius esse potuit, ut *alibi plurib.* docetur.

41. 18. *Cur Angeli conspectu terrentur mulieres?* *Vel* imbecillitate humanâ, *Jud.* 13. *v.* 21. *Dan.* 10. *v.* 8. *Vel* Sexus muliebris, *vel* fidei vacillatione. Fermè enim, quæ insperata sunt, animos nostros percellunt. 19. *Cur nuntiârunt mulieres resurrectionem discipulis in primâ Angelorum apparitione, Luc* 24 *v.* 9. *Cum Specialiter id ab Angelis jussæ non essent?* Quia generaliter magnalia DEI annuntianda esse noverant, *Tob.* 12. *v.* 8. Sic & Emauntici eam narrabant, *Luc.* 24. *v.* 35. Et *Maria* Magdalena sepulcrum vacuum nunciabat, §. 38. Nec speciale de eo mandatum habebat. 20. *Cur in Galilæam potius præcessurus Christus ab Angelo dicitur, quàm* Judæam, *Matth.* 28 *v.* 7? Quia *partim* id à Christo ipso prædictum erat, quod post mortem Apostoli in Galilæâ ipsum visuri essent, *Matth.* 26. *v.* 32. *Marc.* 14. *v.* 28. Solenniter nempè & publice, quâ omnibus Apostolis & plus quàm 500. fratribus Christus simul visus est, Cum privatim & in Judæâ Christus apparuerit, ut *Luc.* 24. *v.* 33. 36. *Joh.* 20. *v.* 19. Et post patebit: Vnde & Angelus ad hoc provocat, *Marc.* 16. *v.* 7. *Partim* Galilæa Patria Apostolorum erat, in quam post mortem

Christi reverti cogitabant, ut tutiùs & commodiùs apud suos egerent; *partim* omnibus simùl aggregatis Christus se ostendere vivum volebat quos Judæi tutò congregari non permisissent, cum perpetuò ipsos prosequerentur. *Johan.* 11. *v.* 8. 21. *Quomodo cum timore simul & gaudio magno è sepulcro egressæ sunt mulieres, Matt.* 28. *v.* 8? *Cum timore* ob aspectum Angelorum, quo perculsæ, *q.* 18. *Cum gaudio* ob insperatum de resurrectione nuntium, & ut illud Apostolis indicare possent. Alternantes timoris & gaudii motus inter se conflictantes, invicemq; cedentes senserunt.

42. Sic *mulierum excursus & Custodum* perculsio fuit: Seqvuntur *diversæ Christi redivivi apparitiones*, de quibus seqventia qværuntur. 1. Cui *omnium primò Christus post mortem vivus apparuit? Papistæ* communiter Virgini Mariæ id factum arbitrantur, Ut *Baronius num.* 183. *Maldonatus & Lapide ad C.* 28. *Matth. Jangas, Tornielius, Barradius, aliiq.* Ex Veteribus etiam ita *Ambrosius, Anshelmus, Bonaventura, Carthusianus, Tuitiensis, Sedulius, & alii.* Sed *Scriptura* nihil de hoc habet, & diversum ejus asserit, primò omnium *Mariæ Magdalenæ* apparuisse, *Marc.* 16. *v.* 9. illudq; tanquam singulare quid illi indultum narrat Neq; Mariæ Virginis fides ita infirma fuit, ut prima omnium revelatione indigeret, §. 39. Nec quidquam fuit, quod illud magnoperè postularet. Ac non esse primò illi, sed Mariæ Magdalenæ manifestatum, *ex Papistis Jansenius in Concord. C.* 145. *Et in ratione Conc. ad idem caput* fatetur. 2. *Quoties post resurrectionem se manifestârit? Augustinus decies* putat. Primò Mariæ Magdalenæ 2. Mulieribus à sepulcro reversis. 3. Petro. 4. Emanunticis 5. Omnib. Apostolis præter Thomam sub noctem diei Resurrectionis 7. Iisdem cum Thomâ 7. Ad mare Tiberiadis 8. Apostolis & 500. fratribus in monte Galilææ Thabor, ut communiter sentitur. 9. Iisdem in Jerusalem. *Luc.* 24 *v.* 44 *vel* 49. 10. Iisdem in ascensione Sed *hæ duæ ultimæ* verè pro una sunt habédæ, ipsoq; Ascensionis die jussi sunt Apostoli non discedere Hierosolymis, priusquam Virtute ex alto induerentur. & post illud in montem Oliveti educti, ac Christus in cœlum sublatus est, Unde & conjunctìm velut in uno actu narrantur *Luc.* 24 *v.* 50. *seq. Et Act.* 1. *v.* 4. Nec tàm nova apparitio in ascensione, quàm præcedentis continuatio, congressus aliquis ac συνάλισις fuit. Rectiùs decima

habetur

habetur, quæ Jacobo Apostolo facta, de quâ 1. *Cor.* 15. *v.* 5. 7. Ultima, sed post ascensionem in cœlos fuit, quâ Saulo persequenti apparuit, *Act.* 9. Et ex Saulo Paulum, persecutore Conversorem fecit. Ita in universum duodecies apparuisset, si illam post Ascensionem conjungas. 3 *Quo ordine se manifestârit?* Id vix satis liquidò de omnibus constare potest. Commodissimè tamen jam recensito apparuisse dicitur, si duas ultimas in unam conjungas. *De Petri & Emaunticorum apparitione, Vtra prior aut posterior, etiam certò sciri neqvit.* Priùs Petro, & Emaunticis etiam prius apparere potuit, ut Corpore glorioso jam instructus. *De reliquorum serie etiam diversitates* occurrunt. Magdalenæ, mulierum, Petri, Emaunticorum, & 11. Apostolorum, *Luc.* 24. *v.* 36. ac post octiduum iterùm præsente Thomâ, *Joh.* 20. *v.* 26. apparitiones certæ, & ordine se consequentes sunt. Sed *de reliquis* incertitudo aliqua est. Paulus 500. fratrum, postea Jacobi, post omnium Apostolorum subjungit. 1. *Cor.* 15. *v.* 67. Quæ ultima in monte Oliveti commodè existimatur. *De his ex sequentibus* nonnulla fusiùs constabunt.

43. 4. *Qualiter apparitiones istæ ab Evangelistis descriptæ? Simplicissimè*, sine ullâ arte & cultu: *Diligentissimè* sine ullâ omissione eorum, qvæ ad rem propriè faciant: *Verissimè* sine ullâ falsi admistione, Et *convenientissimè*, *ut* nulla realis contrarietas inter eos intercurrat. Diversitas si interdum appareat, & in aliis Historicis, ex Actis publicis authoritate publicâ, magnâ industriâ, singulari arte & studio scribentibus, *Vt Tacito, Suetonio, aliisq́ ea* occurrit, Cum Evangelistæ simpliciter, quicquid memoria suggessit, in literas retulerint. Nec nimis curiosâ hic sunt movenda, nec nimis solicitè omnes minutiæ discutiendæ: Satis est, si in summâ rei conveniatur. 5. *Cur â mulieribus tangi se permisit Christus*, *Matt.* 28. *v.* 9. Cum Mariæ Magdalenæ id inhibuerit, *Joh.* 20. *v.* 16? *Augustinus* ad allegorias confugit. *Hieronymus* ob incredulitatem factum putat. *Tutissimè* dicitur, Quia mulieres & discipuli de veritate resurrectionis adhuc hærebant, ideò eos tangere jussit, ut de eâ pleniùs confirmarentur. *Maria* de veritate certa erat, sed in opinione terreni regni hærebat, quasi mundano modo Christus post resurrectionem cum Apostolis versaturus & regnaturus esset, itaq; tangere prohibetur. Nondum enim ascenderat Christus ad Patrem suum,

v. 17.

v.17. Per hoc enim cœleste regnum se auspicaturum esse insinuabat. Quale fidei Magdalenæ admodùm inconveniens erat. Et nolebat in tactu immorari eam Christus: Sed celeriter nuntium resurrectionis suæ discipulis ferre, itaq; istâ vice tangi se ab eâ non permisit. Per 40. adhuc dies visibiliter in terris versaturum se sciebat, eoq; tangendi plures occasiones futuras præsentiebat, ut istâ vice tangendo immorari opus non esset. 6. *Cur Ascensionis potiùs, quam Resurrectionis nuntium Apostolis ferre jussit, Joh. C. 2?* Ut inveterato de mundano Messiæ regno errori meliùs obviam iret, qui per ascensionem in cœlum prorsùs evertitur. Ne ex resurrectionis nuntio iterùm spem mundani regni conciperent, sed ad cœlestia bona speranda se erigerent. Ideò ascendere se ait *ad Patrem suum Naturâ, & Nostrum passionis suæ gratiâ. Deum suum peculiari & personali inhabitatione, nostrum spirituali favore & benignitate: suum mysterii unitate, nostrum Cœlesti potestate.*

44. 7. *Quo fine resurrectionem & alia milites Pontificibus narrant? An quòd* se excusare voluerint, ne neglectæ custodiæ accusari aut suspecti esse possent? Verùm feroces satis erant, & Pilati milites, non Sacerdotum aut Judæorum, eoq; sacerdotibus se excusare parùm curaverunt. *Potiùs spe* emungendæ pecuniæ nuntium tulisse credibile. Cum resurrectionem ejusq; famam custodiâ suâ avertere nequiverint, fructum & pretium custodiæ sibi periisse putant. De novo ergò illud extorquendi modo cogitant, & nuntium sacerdotibus ingratum de Christo redivivo ferunt, & copiosam pecuniam reportant, ac ad mentiendum â Sacerdotibus instruuntur. 8 *Cur per impios milites Deus resurrectionem nuntiari sinit?* Ut ab ipsis hostibus profectum testimonium solidissimè Resurrectionis Veritatem demonstraret. Cum talia testimonia certissimæ veritatis esse soleant; & mulierib ac discipulis fides nulla â Sacerdotibus adhibita ac testimonium eorum irrisum ac elusum erat: Hostium testimonium nullo colore eludere possunt, sed ad crassum mendacium ipsos compellunt, & aliis peccandi causæ ac occasiones sunt. Et *Justinus* delectos quosdam viros ipsos in totum Orbem ablegasse refert, qui ubiq; mendacium disseminarent. *in Dial. cum Tryph. 9. An Emauntica apparitio Luc. 24. eadem cum Marc. 16. v. 12. An diversa? Euthymius & Osiander* diversam faciunt.

Rectiùs

Rectiùs eadem putatur, & quod *Marcus* concisè, *Lucas* prolixiùs per circumstantias deducit. Quod *Marcus* testimonio eorum non creditum fuisse ait, *v.* 13. & *Lucas* credidisse ipsis narrat, *v.* 34 Synechochicè de *quibusdā* est intelligendum, quòd quidam non crediderint, vel fide prorsus immotâ, nullisq; dubitationibus fluctuante, quomodo nondum credidisse potuerunt. *V. Marc.* 16. *v.* 14.

45. 10. *Quis alter Comes Emaunticus fuerit?* Quidam *Lucam* putant, alii Ammaonem vocant, alii Nathanaëlem *Ioh.* 1. faciunt. *Alii* aliter. Incertum id est. *Lucā* non fuisse certum est, quia ab illis sua accepisse ait *C.* 1. *v.* 2. Qui ipsi viderunt ab initio, & ministri sermonis fuerunt. At hic *Cleophæ socius* vidit ipse, & Christo convixit, qvod *Lucas* se non fecisse innuit. 11. *Cur priùs his, quàm Apostolis se Christus revelat?* Quia tanquàm oves errantes erant, spem de resurgente Christo fermè omnem abjecerant, congregationem discipulorem reliquerant, Hierosolymis præ mœrore discesserant, dolorem suum undiquaq; prementem sentiebant. Christus igitur tanquàm verus animarum pastor citò eos quærit, revocat, reducit, ac ad suos congregat, nec sine solatio ulteriùs vagari permittit. *Confer Luc.* 15. *v.* 4. 12. *Cur Hierosolymam reliquerunt, & iter Emaunticum susceperunt?* *Vel* ut tristitiam lenirent, spes objectas reficerent, vel ad opera sua redirent. *Vel* ut Pontificum furorem effugerent, quorum operâ rumor de furtim ablato per discipulos Christi corpore sparsus erat, unde Hierosolymâ relictâ, ubi cœteri foribus & pessulis se occluserant, tutiora & firmiora loca sibi legenda esse existimârunt. 13. *Quomodo oculi eorum retenti, ne Christum agnoscerent?* *Quidam* à Sathanâ impeditos putant, ut *Augustinus*; *Alii* interiore ecstasi retractos, aut cœcitate percussos, *alii* faciem Christi immutatam putant. *Rectiùs à DEO impeditos esse* dicitur, qui non dedit id, quo agnoscere potuissent Christum, cum inter oculos carnales & corpus gloriosum videndum non sit adæquata proportio, & si divinitùs non eleventur ac irradientur oculi, ritè agnoscere illud nequeant. Hanc irradiationem primò DEUS negavit, ut colloquio cum Christo ansam aliqvam daret, sensum & cogitata eorum eliceret, instructioni occasionem suppeditaret, ulcus discipulorum manifestaret, & manifes-

stationem tandem jucundiorem redderet. Ultimò indulsit, undè oculi aperti dicuntur.

46. 14. *Cur Christus ulteriùs se iturum simulavit?* Ut cogitationes eorum repræsentaret, qui Christum longissimè à se abesse existimabant ascensione suâ mundum visibili conversatione relictum insinuaret, affectum discipulorum vehementiùs excitaret, afflictorum cogitationes apertiùs exprimeret, & mox post manifestationem se ab illis recessurum denotaret. 15. *Quomodo ex panis fractione Christum agnoscere potuerint, quem ex prolixo colloquio agnoscere nequierunt?* *Quidam* peculiarem panifragii vel benedictionis ritum eum habuisse putant, ut *Lyra*. *Rectiùs* divinæ potentiæ totum hoc adscribitur, quæ ut ante oculos impedierat, Sic jàm aperuerat, ut agnoscere potuerint sub istud tempus, ubi ad cibum cum ipsis sumendum recubuisset. *Tò in fractione panis* non cognoscendi *medium, sed tempus* notat. *Inter frangendum & eo momento, quo panem fregit, agnitus est.* Ritu benedictionis, fractionis, & porrectionis Christo usitatæ accuratiùs omnia animadvertere incipiunt, & sic accedente divinâ oculorum irradiatione Christum tandem agnoscunt. 16. *An Cœnam sacramentalem Christus hic administrârit?* Ita *quidam Pontific.* volunt, ut communionem sub unâ confirment. Sed nulla valida circumstantia ad id probandum in textu est, sed totum contortum & violentum est, ut *alibi* docetur. Ac *Lyranus, VVidefort, Carthusianus, aliiq; è Papistis* de vulgari Cœnâ locum exponunt. 17. *Quomodo* ἄφαντος *Christus factus fuerit?* Nempè apparere & videri desiit, & conspicuus esse cessavit. *Calvinus, Beza, Piscator, aliiq;* celeri discessu recessisse putant. Sed hoc propriè non est ἄφαντον γίνεσθαι, quod de illis dicitur, qui cum adsint, in momento videri desinunt. Et glorioso Christi corpori post resurrectionem difficile non fuit, visum sui in oculis tollere, subitoq; disparere. Ostendit ita Christus, se non in vitam animalem, sed spiritualem & cœlestem resurrexisse. 18. *Quomodo undecim Apostolos Emauntici reversi invenisse dicantur, Cum Thomas abesset, & sic decem tantùm essent?* Quia usitatè post Judæ mortem ita dicebatur Apostolorum Collegium *à potiori*, & quia tot simul omnes erant, etiamsi unus alterq; interdum abesset. Quomodo & 12. vocantur, quia à principio tot fuerunt, *Ioh.* 20. *v.* 24. 1. *Cor.* 15. *v.* 6.

47. 19. *An apparitio Marc. 16. v. 14. descripta eadem sit cum Lucæ 24. v. 26. an diversa?* *Quidam* ultimam omnium censent, ut *Augustinus, Baronius, aliiq;* sed non credibile, in hac incredulitatem & duritiem Apostolis Christum objecturum fuisse, Cum per 40. dies vivum se eis exhibuisset. Ultima apparitio in monte Galilææ contigit, *Matt.* 28. *v.* 16. At hæc Marci recumbentibus illis & cibum sumentibus. Rectiùs eadem esse dicitur. Et τὸ ὕστερον apud Marcum non reddendum *ultimè vel novissimè, sed postea & deinde*, hoc enim propriè significat, Ut & ex Papistis *Lorinus in 2. Act. v. 17.* concedit, & malè per postremò à *Beza, Tremellio*, vel novissimè a *Vulgato* redditum est. *Vel* si omninò *postremò* reddendum, non omnium apparitionum postremam intelligere oportet, sed *istius diei resurrectionis, quo ultima hæc fuit*, quâ se Christus post Emaunticos Apostolis revelavit. *V. v.* 9. *Cætera*, quæ Marcus de universali ablegatione & baptismo addit, ad ultimam apparitionem die ascensionis factam sunt referenda, & aliis quibusdam ex reliquis Evangelistis intermistis demùm sunt subjungenda. 20. *Cur omnibus Apostolis ipsa Resurrectionis die apparere voluerit, Cum in Galilæam ire jussi fuissent, ibiq; videre deberent, §. 41?* *Quia* reliquæ apparationes, ut *Mariæ Magdalenæ, mulieribus, Petro, & Emaunticis* factæ valdè particulares erant. Aliquam ergò totalem Christus esse voluit. *Fervori etiam caritatis in Christo*, imbecillitatis & moeroris vehementiæ in Apostolis id tribuendum, quòd apparitionem in Galilæâ Christus anticipet. & *Hierosolymis ipso resurrectionis die* sub mortem Apostolis se exhibeat.

48. 28. *An clausas fores penetraverit?* *Reformati* utplurimùm negant. *Photiniani* similiter, ut ex *Smalcio l. d. divin. Chr. p. 89. & disp. 3. c. Frantz. t. 72. Socino in libro, quod Evangelici, p. 68. aliisq;* patet. Sed miraculosam omninò hanc apparitionem fuisse circumstantiæ historiæ omnes docent. Nam & celerrimè supervenit Christus, & improvisus adest, instar spectri & spiritus alicujus, & fores clausæ dicuntur, nec â quoquam reseratæ narrantur; nec spontè patuisse docetur, *Nec nuda temporis notatio esse* potest, Cùm sic μετὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων vel ἐν τῷ κλείσθαι τὰς θύρας, dictum fuisset: Sed *modum adventus simul* innui oportet, *quòd*

 forib

forib. clausis manentibus, non apertis vel patentibus Christus introjerit: Et Apostoli spectrum se videre putantes expauescunt, Et similia aliàs à Christo Corpore suo præstita sunt. Sic aquis inambulavit, *Matt.* 14. *v.* 35. Lapidem sepulcralem penetravit, §. 28. In Ascensione cœlos perrupit, Et ex *Patribus* multi foribus clausis manentibus apparuisse docent, ut *Justinus*, *Origenes*, *Hilarius*, *Nazianzenus*, *Chrysostomus*, *Cyrillus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Beda*, *Gregorius*, *aliiq;* Quod *Chamier* concedit *T.* 2. *l.* 6. *C.* 7. §. 18. Et qualitercunquè res facta fuerit, miraculosa fuit. Unde ex *Reformatis* ipsi *Calvinus* & *Marloratus* ingressum hunc omninò miraculosum faciunt *in C.* 20. *Joh.* Miraculum autē potiùs *in glorioso Christi Corpore, quàm egenâ Creaturâ*, januâ, agnoscendum. 22. *Cujus, & qualis domus fuerit, in quâ apparitio facta?* Variæ hic sententiæ. Sed tacentibus *Evangelistis* totum hoc incertum est. 23. *Quomodo Christus comederit? Verè & realissimè*, non putatitiè, imaginariè, aut phantasticè, secùs non realiter veritas resurrectionis confirmata esset. Edere autem maximum veræ vitæ humanæ argumentum est, *Luc.* 8. *v.* 55. Non tamen *Physicè & naturali modo ac fine*, quasi cibum in ventriculo digesserit, in sangvinem commutàrit, eumq; in membra pro nutrimento dispersérit: Nec ob famem, indigentiam, & necessitatem corporis, sed Oeconomicè & liberâ dispensatione ad beneplacitum voluntatis. Sic Angeli in mensâ Abrahæ in assumptis corporibus *verè* comederunt, *Gen.* 18. Non tamen *Physice* ad Corporis necessitatem, quasi cibum digesserint, concoxerint, vires eo refecerint: Sed supernaturaliter & ex temporariâ dispensatione. Sic ergò apparet Christus proprio corpore, compellat notâ voce, contrectandum manibus se præbet, & in conspectu eorum verè realiter comedit. Quæ veræ resurrectionis & vitæ argumenta certissima sunt. *Conf.* §. 34.

46. 24. *Quomodo Christus se ea dixisse dicat, cum adhuc cum Apostolis fuerit, Cum & tùm maximè cum illis esset, Luc.* 24 *v.* 44? *Quia* longè alio modo, ac priùs, tùm illis aderat. *Ante* in statu exianitionis, corpore mortali: *Jam* in statu exaltationis, Corpore immortali & glorioso, ut victor & triumphator. *V. t.* 34. Ita sæpè in sacris adesse de peculiari adessendi modo sumitur. *Joh.* 14. *v.* 25. *C.* 16. *v.* 4. 25. *Cur post* 8. *dies, non citiùs, Thomæ Ap. apparuerit? Partim* liberâ voluntate, *Partim* ut insignem

signem Thomæ oscitantiam & negligentiam sic castigaret, cum se à reliquis segregasset, suâ culpâ fructu manifestationis cœteris factæ carvisset, & fidem reliquorum Apostolorum probaret, qvi cum Thomâ interim colluctarentur, eumq; ad fidem traducere conarentur, ac se in calamitatibus homines ad tempus exercendi & probandi gratiâ relinquere solere ostenderet, & glorificationis nostræ velut typum aliqvem exhiberet. *Sex dies laboris & vitæ nostræ sunt, septimus quietis in sepulchro, Octavus demùm gloriæ in Cœlo erit.* Istâ etiam per intervalla repetitâ eum discipulis conversatione, non continuatâ, ut ante passionem, se *non ad hanc vitam, sed diversam & aliam* resurrexisse ostendere voluit. Abfuit enim per octiduum, deinde vicissim ad eos rediit, seq; illis exhibuit.

50. 26. *Quomodo cicatrices & vulnerū vestigia in glorificato corpore* sint, & an adhuc in gloriâ Christus ea *retineat? Photiniani* Corpus ejus inde gloriosum fuisse negant. *V. t.* 34. Et summū Deū esse inde inficiantur, ut *Socinus C. Posnaniens. p.* 56 *Et defens. animadv: p.* 386. *Catech. Racouiensis, aliiq;* Sed possunt multa retineri ex liberâ volūtate, quæ non statim ad rem requiruntur ex necessitate. Voluit ea liberè Christus retinere, ut illo ipso corpore, quo passus fuerat, se resurrexisse ostenderet. Ac liberè cicatrices retineri possunt in passionis antegressæ testimoniū, gloriæ consequentis indicium, hostium opprobriū, fidelium solatium, & amoris in Christum incitamentum. Nec cicatricē habere aut retinere per se infirmitas est, etsi ejus olim præsentis & exhaustæ indiciū & signum sit. Vulnera accipere & retinere infirmitatis est. *Cicatrix non vulnus, sed nota vulneris jam obducti, & ad sanitatem perducti est.* Hæc & in glorioso Corpore ex liberâ dispensatione locum habere potest. In novissimo die etiam vestigia illa Christum habiturum multi *Patres* ex *Zacch.* 12. *v.* 10. *Joh.* 19. *v.* 37. *Apoc.* 1. *v* 7. statuunt. Sed hoc ut probabilis sententia, non præcisè ut articulus fidei tenendum & propugnandum est, ut bene *Gerhardus harm. Resurrect. C.* 9. *p.* 319. Nec oppositum hæreticum habendum est. *Augustinus* τὸ fortassè hic adhibet. *Thomas Aqvinas* totus in Conjecturis est. *Alii aliter. V. Chamierum T.* 2. *l.* 5. *C.* 21. *Et T.* 3. *L.* 25. *C.* 4. 27. *Qualis apparitio illa, quæ ad mare Galilææ facta, Iohan.* 21. *v.* 1. *seq?* Solus *Iohannes* eam describit, & *tertiam* vocat, quâ discipulis se Christus manifestârit, *v.* 14. Nempè secuta est

post

post *primam* coram discipulis omnibus, excepto Thomâ, apparitionem, *Luc.* 24. *Joh.* 20. Et post *secundam* coram iisdem, Thomâ etiam præsente, *Ioh.* 20. *v.* 26. Tertia hæc fuit ad mare Tiberiadis facta. Et voluit *Johannes* specialiter hanc annectere, *partim* ut exemplum aliquod daret signorum, quibus post mortem Apostolis vivum se Christus demonstrârit, qualia multa prætermissa in suâ historiâ dixerat, C. 20. *v.* 30. Varia enim hic signorum congeries: *Partim* ut exemplum aliquod manifestationis in Galilæâ proponeret, in quâ Christus se videndum prædixerat, §. 41. Reliquæ enim, quas C. 20. narrârat, in Judæâ aut Hierosolymis & viciniâ omnes contigerant, ut non de veritate capitis hujus dubitandum sit, quasi non ab ipso *Johanne* conscriptum esset, cum manifestè hoc â se ipso scriptum esse attestetur, *v.* 24.

51. 28. *Cur Apostoli post resurrectionem Christi ad opificia sua & piscaturam reversi fuerint, Ioh.* 21. *v.* 3. *Cum Spiritum S. jam accepissent, Joh.* 20. *v.* 8? *Quidam* ex desperatione aut diffidentiâ factum putant. Sed non credibile hoc, cum in fide de resurr. Christi satis jam confirmati essent: *Sed quia nondum publicè ac solenniter ad docendum in totum Orbem missi erant*, nec adhuc solennem illam manifestationem in Galilæâ ante & post resurrectionem â Christo promissam viderant, nec Spiritu S. solenniter ad docendum instructi erant, quod in festo Pentecostes demùm factum, victum interea ex visitato suo opificio quærere non dubitârunt, nec indecorum munere suo existimarunt. Sic Paulus pleno ministerii sui cursu scenopœijam exercuit, *Act.* 18. *v* 3. Et Christus in ipso piscaturæ opificio occupatis Apostolis apparet, *Ioh.* 21. Ut id munus sibi non displicere ostenderet. 29. *Cur Johannes primus Christum agnoverit, v.* 7? *Hieronymus & Lyra* ob Virginitatem factum putant. *Rectiùs* recordationi similis piscationis ante biennium in illo ipso mari Galilææ expertæ, ubi ad Christi verbum retia laxaverant, *Luc.* 5. *v.* 1. Et ardori caritatis Christi in Iohannem id tribuitur, unde motus aciem oculorum intendit, & Christum agnoscit.

52. 30. *An ex pasturâ soli Petro commissâ primatus & universalis Episcopatus ejus, ac consequenter Pontificis Romani, verè educatur?* Ita *Papistæ* omninò contendunt, ut ex *Bellarmino, Becano, Gretsero, Costero, Baronio, Barradio*, aliisq́ constat. Sed vanum id esse, & nunquam

quam talem primatum, qualem ab annis 1000. sibi arrogavit Pontifex Romanus, Petro insinuatum aut promissum, vel collatum & exhibitum, vel confirmatum fuisse, vel vnquam actu ab eo exercitum fuisse, Quomodo nonnulli membra distinctè ex Sacris coacervare allaborant, ex harmoniâ totius Evangelicæ Historiæ patet, ubi paritas *Petri* & aliorum Apostolorum semper describitur, *Matth.* 28. *Joh.* 20. *Act.* 1. 2. 3. 15. Interdum aliorum prorogativa, ut Pauli, magis insinuatur, 2. *Cor.* 11. 12. *Gal.* 1. 2. Qui & *curam omnium Ecclesiarum* sibi incumbere manifestè asserit, 2. *Cor.* 11. *v.* 28. Quod de Petro aut ullo Apostolo nuspiam Scriptum reperitur, ut plurib. alibi docetur. Sed hic solus & ter Petrus compellatur, *ut post trinam abnegationem* trinâ pasturæ commissione verè integreq; in munus Apostolicum restitutus esse intelligatur, scandalum cœteris per negationem datum penitùs obliteretur, contemptus ejus apud cœteros Apostolos præcaveatur, & similia amoveantur. *Conf. §.* 65.

53. 31. *Qualis illa apparitio in monte Galilææ, Matt.* 28. *v.* 16. *Marc.* 16. *v.* 15. *seq?* Non fuit ultima, die Ascensionis facta: Sed octiduo aut circiter ante eam, iunctosq; habuit 500. fratres, qui simul Christum redivivum viderunt, & apparitioni huic interfuerunt, 1. *Cor.* 15. *v.* 6. Et post illam, quæ ad mare Tiberiadis facta, ac Ioh. 21. descripta, contigit, §. 50. Ut ex *Historiâ Evangelicâ* probabiliter colligitur. Fuitq; maximè illustris, â Christo ipso & Angelis prædicta, *Matt.* 26. & 28. Coram magnâ multitudine fidelium facta, & condicto tempore & loco facta, cum cœteræ fermè ex improviso factæ fuerint. Apostolorum ablegatio & baptismi institutio ei â *Marco* subjungitur *c.* 16. *v.* 19. Non quòd immediatè eam secuta fuerit, sed quod post tamen secuta, etsi interjectis diebus aliqvot, & factis interea contingentibus. Sic egressum Apostolorum in totum orbem immediatè Ascensioni subjungit, *v.* 20. quem tamen diebus & mensibus aliquot post eam demùm factum esse ex *Actis Apostolicis* constat. 32. *Quinam 500. illi fratres, & unde isto tempore, Cum Christus adhuc in terris, tantus fidelium numerus, cum pusillus grex Ecclesia esset, Luc. v.* 12. *v.* 32. *Et post Ascensionem in consortio Apostolorum vix* 120. *reperti fuerint, Act.* 1. *v.* 15? *Matthæus* solorum Apostolorum meminit. Sed ex Paulo 1. *Cor.* 15. & hos.

500

500 fratres adfuisse constat, ac *Mathæus* id insinuat, cum quosdam dubitasse dicit, v. 17. Quod de *Apostolis* eo tempore non credibile. De quibusdam ergò horum fratrum intelligendum. Fuerunt inter Christi fideles, qui fidem, quanquam infirmam & fluctuantem interdum, in Christum conceperant & retinuerant, sed de resurrectione nondum satis plenè confirmati erant. Ac habuisse Christum multos fideles extra Judæam in cæteris vicinis provinciis, ut Galilæâ, Samariâ, ex *Historiâ Evangelicâ* patet, *V. Ioh.* 4. *Matt.* 4. *Luc.* 17. Undè 500. esse potuerunt. In actis C. 1. tantùm illorum est mentio, qui præcisè Hierosolymis in eodem conclavi cum Apostolis morarentur, & promissum Spiritum S. exspectarent, qui 120. fuerunt. Reliquorum extra Hierosolymam longè plures esse potuerunt.

54. 53. *Quomodo tàm citè tantus numerus colligi potuerit?* Quia sæpiùs jam auditum illis erat, Christum resuscitatum in Galilæâ â credentibus videndum esse, §. 41. Facilè ergò ex famâ istâ in Galilæam in certum locum convenire potuerunt. 54. *Quomodo dubitantes quidam inter istos, Matth.* 28. *v.* 17. *Cum toties jàm Christus vivus apparuisset?* De quibusdam fratribus accipiendum, *t.* 53. Nempè *fides vacillans fuit.* Et ut Apostoli primùm mulierum testimoniis de resurrectione non credebant: Sic hic Apostolorum non. Sensuum & rationis absurditas validè obstabant, quo minùs ex toto resurrectio credi posset. Et principio remotum pauló viderunt, postea propius accedentem, v. 18. Inde in initio in dubitatione confirmati sunt, non esse verum Iesum Nazarenum illum, quem viderent; sed phantasma aliquod speciem ejus habens, aut simile quid. 55. *Quis mons ille fuerit, in quo apparitio facta?* *Thabor*, ut vulgò existimatur. In eo enim & alia insignia Christus exhibuerat, ut transfigurationem, ut *Dec.* 2. *Miscell.* 4. 1. *t.* 17. dictum. 56. *Cur nomine Creaturæ, cui Evangelium prædicandum, Solus homo intelligatur?* Quia omnium Creaturarum corporearum nobilissimus, Dux, Rex, & Gubernator est, ac parvus aliquis mundus, breveq; creaturarum omnium compendium est. Corpus de inferiore, animam de superiore mundo habet, ac Synechdoche Scripturæ usitata est, vocem generis de determinatâ aliqua specie usurpare. *V. Marc.* 16. *v.* 6. *Coloss.* 1. *v.* 23. Notatur etiam, conversionem nostram

ſtram, quæ prædicatione Evangelii fit, novā aliquam recreationem eſſe, qvā novæ creaturæ fiamus, *Jac.* 1. v. 18. 2. *Cor.* 5. v. 17. *Gal.* 6. v. 15. Et quòd Evangelio mundus velut de novo creandus & reformandus ſit, *Apoc.* 21. v. 5. Quæ de revelatione Chriſti in die Aſcenſionis, Aſcenſione ipſā, & Sp. S. effuſione diſceptantur, in *Pentecoſtalibus* §. 15. *ſeq. tradentur.*

55. Ita & *diverſæ Chriſti reſuſcitati apparitiones* fuerunt, & ſic *Conſequentia propiora Reſurrectionis viſibilia* fuerunt: Sequitur *inviſibile aliquod, quod nullo hominum ſenſu perceptum, verè tamen geſtum fuit.* Et hoc eſt *deſcenſus Chriſti ad inferos proprius & non Metaphoricus,* quo Chriſtus è mortuis ſuſcitatus & ζωοποιηθεὶς, 1. *Pet.* 3. v. 18. ad inferos deſcendit, victorem ſe inferni oſtendit, poteſtates inferorum exſpoliavit, & triumphum palàm in ſeipſo de illis egit. *Col.* 2. v. 15. Hic in *ſuā prædictione & executione* ſpectari poteſt. *Prædictione, quā in V. T. prænuntiatus aut adumbratus eſt.* Hoc *vel dictis vel geſtis. Dicta Pſal.* 68. v. 19. & *Hoſe.* 13. ſunt. *Pſal.* 68. *dicitur, Captivam duxiſti captivitatem.* Quod de deſcenſu ad inferos, & aſcenſione ad cœlos Paulus *Epheſ.* 4. v. 5. 8. 9. explicat. In deſcenſu vinxit infernum, in aſcenſu vinctum duxit, & ut talem publicè oſtendit ac traduxit. *In paſſione* captivationis aliqvid repasſus eſt Chriſtus à Sathanā, atq; organis ejus ad id concitatis, impiis Judæis, à quibus captus, illuſus, verberatus, & crucifixus fuit: *In deſcenſione & aſcenſione* ipſe cepit, vinxit, vinctosq; hoſtes publicè ut triumphator in triumphum duxit. *Capere* ad deſcenſum, *ducere* ad aſcenſum pertinet. In deſcenſu Chriſtus cepit Sathanam, in aſcenſu in triumphum duxit. Hinc aſcendere & deſcendere connectitur *C. l.* v. 9. 10.

56. *Hoſeæ* 13. v. 4. de Chriſto dicitur, *quòd de manu inferni redempturus ſit ſuos, & morti peſtis, ac inferno aculeus futurus ſit.* Plenè hoc in Eccleſiā triumphante conſummabitur, 1. *Cor.* 15. v. 54. 55. Initio ſui à Chriſto in exaltatione perfectum eſt, ad cujus ſtatū & deſcenſus ad inferos pertinet. *Coloſ.* 2. v. 15. Verè enim tùm Chriſtus Inferno morſus fuit, Cum poteſtatem ejus totam captivauit, Spiritibus immorigeris ſe victorem inferni prædicavit ac oſtendit, & in aſcenſione de ſpoliis & virtute inferni publicè triumphavit. *Victoria* in deſcenſu ad inferos fuit: *Triumphi* initium in eo ſi-

ſimiliter, *Continuatio & completio* in aſcenſione; *Univerſalis revelatio* & glorioſa apparitio in ſeculi conſummatione & extremo judicio erit. *Alii* & inter *Noſtros* multi etiam *Pſal. 16 v. 10.* ad deſcenſum ad inferos realem referunt. Sed de morte & ſtatu mortuorum, quòd in illo Chriſtus non relinquendus ſit, commodiùs eum explicari ex allegatione Apoſtolicâ *Act. 2. & 13. patet. V. §. 9.* Ut & Prophethæ ſcopo & antitheſi Apoſtolorum, qui dolores mortis reſurrectioni opponunt, ac corruptionem timendam inſinuant, quæ in proprio deſcenſu nulla, ſimiliq; multorum è noſtris explicatione patet, qui *de deſcenſu Metaphorico*, h. e. paſſione & morte, ſepulturâ, mortis ſtatu, & exinanitione, interpretantur. Ut *Gerhardus harm. Paſſ. C. 19. p. 926. 927. Et harm. Reſur. C 7. p. 207. Meiſnerus d. 39. Chriſtol. t. 3. & D. 40 t. 5 d. 41. t. 2. Flacius p. 1. Clav. Voce Anima, Balduinus homil. in feſto Paſchæ, Hutterus in form. Concord. a. 9. p. 1044. Mutheſius in Act. 2. v. 27. Cramerus par. 1. Schol. Prophet. dict. 6.* (*Etſi Tract. d. deſc. ad infer. C. 5 q. 2* aliter,) *aliiq;*. *Geſta duplicia* hic inprimis è V. T. eſſe poſſunt, *Factum Simſonis* portas Gazæ ſub noctem eximentis, *Jud. 16. v. 3.* *Et Ionæ Prophetæ in* profundum ventris balænæ deſcendentis, *Jon. 2. v. 1.* Utrumq; Chriſti typum fuiſſe *in Paſſionalibus v. 16. & 19.* conſtitit.

57. *Executione, quâ facto præſtitus & occupatus deſcenſus â Chriſto fuit.* De hoc apud *Evangeliſtas* nihil habemus: Apud *Apoſtolos* tamen tria loca ſunt, quæ factum manifeſtè docent, ut *Epheſ. 4. v. 9. 10. Coloſ. 2. v. 15. & 1. Pet. 3. v. 19. 20.* Unde de veritate ejus dubitari non debet. *De eo ſeqventia quæri poſſunt: 1. Cur nihil de eo ab Evangeliſtis annotatum?* Quia nulli hominum viſus erat. Nec ab *αὐτόπταις* eum Evangeliſtæ acceperant, qualia maximè annotare conſtituerant; *V. §. 27. 2. An pari neceſſitate pro articulo fidei ille habendus & credendus, ac reſurrectio?* *Alii* ajunt, *alii* negant. Tutiſſime inter ſimpliciter ignorare & negare diſtingvitur. Simplici ignorantiâ *ignorari* fortè â ſimplicibus Chriſtianis poſſit, cum reſurrectio ne ignorari quidem debeat: *Negari* â nemine ſub periculo ſalutis æternæ poteſt, cum apertè *in Symbolo Apoſtolico* exprimatur. Diſtingvendum etiam *inter ipſius articuli notitiam, & variorum quæſitorum Theologicorum de illo motorum.* Prius neceſſarium, Non ita poſterius. *3. An ſymbolo Apoſtolico coævus ſit, an poſtea inſertus?*

nu? Posterius *Calvinus* 2. *inst. C.* 16. *n.* 8. *Polanus, Forsterus*, & quidam *Papistarum* suspicantur. *Prius* probabilius est. Magno enim consensu puncta istius symboli universa à veteribus assignantur, ut *alibi* docui, *De fide Christiana l.* 2. *C.* 4. §. 2, 3. Ut de hujus puncti coævitate dubitari non debeat, etsi à nonnullis in repetitione aut explicatione omittatur, quòd istis temporibus in controversiam nullam adhuc devenerit. 4. *Quid per descensum ad inferos in symbolo intelligatur?* Mira hic veterum & recentiorum varietas. *Alii* passionem, mortem, cruciatus infernales animæ, sepulturam, statum mortuorum, limbum, aliaq; intelligunt. Optimè realis ad inferos descensus intelligitur, nam Passionem, mortem, sepulturam, aut statum mortuorum descensum ad inferos notare perspicuitati symboli parum convenit, quod propriè puncta sua exprimere debet, cum descensu ad inferos ista efferre maximè Tropicum & inproprium sit: Similiter nec brevitati symboli competit, unum bis repetere, aut quod propriis verbis antea expressum erat, Metaphoricis iteratò subjungere. *Non enim propria per tropica, sed hæc per illa explicantur.* Propria autem erant, passus, crucifixus, mortuus, & sepultus est Christus sub P. Pilato. Non attinebat, tropicis verbis ea subnectere. Nec cruciatus infernales in animâ perpessos commodè intelligas, Cum voce *passus* Jure & illi comprehensi essent. Quæcunq; enim aut animâ aut corpore passus Christus, voce illa generis includuntur.

58. 5. *An sola Symboli Apostolici authoritas ad constituendum hunc fidei articulum sufficiat, etiamsi in Scripturâ propositus non inveniretur?* Ita *Scotus* olim censuit, & in Scripturâ proponi negavit, ut *Maironis in* 4 *sentent.* refert. Contrarium ex dictis *V.* & *N. T. t.* 55. 56. 57. citatis patet. Et articulorum fidei fundamentum Scripturam esse oportet, quorsùm Christus ipse sua semper revocavit, & ex quâ illo deduxit. *Symbola* articulos fidei non faciunt aut constituunt, sed ex Scripturâ constitutos inq; eâ fundatos profitentur, proponunt, declarant, & defendunt, ac erronea reiiciunt. 6. *Quo tempore Christus ad inferna descenderit?* Momentum ipsum accuratè assignari nequit, *t.* 27. Sed post resurrectionem contigit. ζωοποιηθεὶς enim descendit, 1. *Pet.* 3. *v.* 18. Et maximè

probabile, in ipso terræ motu, quo angelus è cœlo descendens lapidem sepulcralem revolvit, *Matt.* 28. factum esse. 7. *Ad quem Christi statum descensus pertineat?* *Quidam* ad exinanitionem, *alii* ad exaltationem, *alii* ad intermedium quendam referunt. *Tutissimè* ad exaltationis initium & continuationem Resurrectio & descensus referuntur. θριαμβεύσας enim potestates traduxit, & principatus exspoliavit. *Colos.* 2. v. 15. *V.* §. 56. 8. *Cur tàm pauca dicta etiam in N. T. de eo reperiantur?* Quia *tùm* ratione termini ad quem, inferni, *tùm* ratione modi & processus, qui occultus, non ad hujus præsentis, sed alterius vitæ statum & conditionem pertinet. Infernus enim non est res hujus seculi, sed futuri; *Sap.* 1. v. 14. Et modum descensus specialiter nosse aut explicare, nulli mortalium in hoc orbe concessum erit, sed abstrusus, mirabilis, & ineffabilis lingvis hominum ille manebit. *Unde non numeranda Scripturæ de eo dicta, sed ponderanda, & quò pauciora, eò potiora magisque admirabilia erunt.*

59. 9. *An & secundùm Corpus descenderit Christus, an secundùm solam animam?* Hoc posterius *Scholastici* quondam, ut *Lombardus*, *Thomas*, *alii*, censuerunt. Contrarium ex Scripturæ dictis colligitur, quæ totum Christum descendisse tradunt, §. 55. *seq.* & ζωοποιηθεὶς descendit, 1. *Pet.* 3. Quod totius suppositi est. 10. *Quamdiu in inferno permanserit?* Hoc quærere curiosum, & tacente Scriptura determinare velle periculosum est. Non tempore hunc actum gloriæ metiri, sed qualitate & efficaciâ debemus, nec de morâ disceptare, sed de fructu piè cogitare. 11. *Quomodo descenderit?* *Specialiter* hoc incognitum & ineffabile est. *Generaliter*, realiter, illocaliter, supernaturaliter, Spiritualiter, ostensivè, potenter, & gloriosè descendisse dici potest. 12. *Quo fine descenderit?* Variè hic *Christolytæ*, *Marcionitæ*, *Liberatores*, *Papistæ*, delirârunt, & alienos fines asignârunt. *Tutissimè* dicitur, *sui* gratiâ descendisse, ut scripturas impleret, & ab imis ad summa triumpharet. *Piorum*, ut amorem, sufficientiam, & solatium ipsis commendaret; *Damnatorum*, ut verissimum se Messiam ad supplicium & ignominiam eorum, quòd eum rejecerint, ostenderet ac prædicaret, 1. *Pet.* 3. *Diabolorum*, ut verum se inferni destructorem significa-

ret, pleneq; animam posuisse & resumpsisse demonstraret. 13. *Quis fructus descensus?* Ex finibus paulò ante traditis facilè ille assignari potest. 14. *An meritorius, satisfactorius, & dolorosus actus fuerit?* Ita *Flacius & Aepinus* censent. Rectiùs satisfactionem morte finitam fuisse dicitur. Túm n. Consummatum fuit. *Ioh.* 19. *V.* 30. Et descensus ad exaltationem pertinet, quâ propriè non meritus est Christus, etsi salutares fines ex eâ ad pios resultent. Sic ob justificationem nostram resurrexit, *t.* 32. Ad ignominiam etiam & dolorem eum pertinere falsum est, *t.* 58. Resurrectio & descensus sunt actus dominii, postquam jam maledicto legis per mortem satis fecit. Nec quod nos pati debuimus, Christum *in ipso præcisè inferno* pati necessum fuit. Sufficit, si rem ipsam passus sit, h. e. dolores inferni: Etsi non eo modo & loco, quo Nos debebamus in inferno. *Idec. infernum adiit, ut victor, ne nos in inferno cruciaremur, ut rei.* 15. *An pœna Christo fuerit, in inferno esse?* Sic *Thomas & Cajetanus*. Rectiùs in loco pœnæ, non in pœnâ fuisse Christus dicitur. Ut victor & triumphator ibi fuit, ut gloriosum se exhiberet, non ut pœnam aliquam subiret, quam in cruce & morte jam exanclaverat & finierat. *Cætera* de descensu *alibi* discutienda.

60. Ita & *Consequens Resurrectionis invisibile*. Et sic consequentia propiora omnia fuerunt. Sequuntur *Remotiora, quæ longius à Resurrectione distant. Suntq; vera; vel apparentia. Vera vel realia, vel notionalia sunt. Realia, quæ res & gesta quædam concernunt*. Suntq; *Biblica, Ecclesiastica, & Civilia. Biblica* sunt, quæ in Scripturâ expressa sunt. Ut ascensio Christi, variæ gentium ad fidem conversiones, Apostolorum prædicationes, & miracula, de quibus in *Actis Apostolicis. Ecclesiastica*, quæ in historiâ Ecclesiasticâ annotata sunt, & ad rem Ecclesiasticam pertinent. Talia sunt, Acta Pilati ad Tiberium Cæsarem de Christo Scripta, quorum *Egesippus, Tertullianus, Turonensis, Orosius, Eusebius, aliiq;* meminerunt, de quo *Baronius in an. Chr.* 34. *n.* 228. *seq. Casaubon. ex.* 16. §. 154. *aliiq;* videantur. *Variæ hæreses* ex Simone Mago natæ, & Ecclesiam Christi turbantes, ut *Menandriani, Carpocratiani, Basilidiani*, ect. *Vitellius* item in Syriam missus varia officia Judæis exhibens, sub annum Chr. 37. & ab illis vicissim honorificentissimè exceptus & habitus. *Pilatus* variè accusatus, & in exilium missus. *Dies Dominica* in

Sabbathi locum à Christo ipso vel Apostolis Christi instinctu ac authoritate in memoriam Resurrectionis instituta est. *De quâ varia quæri possunt. Ut, An à Christo ipso sit instituta, an ab Apostolis? An à nullo ipsorum? Quando instituta, & quàm antiqua origo ejus? An necessariò Christianis observanda? An alia dies loco ejus assumi possit? An ex se & suâ naturâ sanctior sit reliquis diebus?* Et quæ similia sunt, de quibus nuperè disceptantes inter se *Gomarum in investig. originis Sabbathi C. 6. & defensione C. 10. & Rivetum de orig. Sabbathi vide.* Quibus adde *Amesium in peculiari disputat. de Sabbatho & die Dominico, & l. 2 medull. Theol. C. 15. §. 27. seq. Bellarmin. l. 3. d. cultu sanctor. C. 11. Alstedium L. 5. supplem. Cham. C. 8. Chemnitium p. 4.* Exam. *Con. Trid. aliosq́.* *Festum item Paschatis* specialiter in memoriam Resurrectionis quotannis celebrandum est institutum, Cujus certa determinatio in *Concilio Niceno* facta est, prima autem ejus institutio multò antiquior, & ad Apostolos est referenda. Confer *Bellarmin. in C. l. C. 12. Sed quomodo, & quando præcise institutum, incertum est. Baronius à* Petro Apostolo ad diem Dominicam sub annum Chr. 58. institutum fuisse putat, *T. 1. Anno sub an. 58. n. 82. Alii* aliter, De quibus alibi plura. *Quæ cætera consequentia Ecclesiastica* sunt, ex Scriptoribus Ecclesiasticis, ut *Socrate, Eusebio, Nicephoro, Sozomene, Magdeburgensibus, Baronio, Gaulterio, aliisq́* desumi possunt. *Civilia sunt quæ* in Repub. Romanâ, Judaicâ, aut aliâ civiliter contigerunt. Quæ ex Authoribus Romanis & Græcis. *Tacito, Livio, Suetonio, Dione, Josepho, Baronio,* aliisq́; hauriantur.

61. *Notionalia Consequentia sunt, quæ ab hominum certâ consideratione ad Resurrectionem adhibita sunt.* Suntq́; *Aeræ Chronologicæ, Paschatis celebratio, & modi quidam loquendi. Aera Resurrectionis Christi* qualis, facilè ex ærâ Passionis colligitur. Eodem n. anno & mense, sed diversâ septimanâ & die, mortuus & resuscitatus est. *V. Passional. t.* 57. Collatio ejus ad reliquas æras Græcas vel Romanas ex c. L. & authoribus allegatis etiam facilè constat. *Paschatis celebratio* in Ecclesiâ quomodo se habeat, è Computo & calculo Astronomico ac Chronologico patet. Quædã §. 60. tacta sunt. Quæ uberiùs de eâ quæruntur, ob prolixitatem aliò ad Chronologica sunt remittenda. Ut, *Unde circuli Paschales? Cur Pascha interdum post Natalitia 4. interdũ tantùm 3. mensibus sequatur? &c. Modi loquendi sunt Noëmata,*

quib.

quib. animi sensa commodiùs inter homines proponuntur. De quibus quoad rem præsentem *sequentia* quæri possunt. 1. *Resurrectio Christi quare & quomodo generatio dicatur, eive assimiletur, Act. 13. v. 33?* De resurrectione enim Christi ibi agi multi censent, *V. §. 9.* Nempè generatio est rei ad vitam productio, cum antea viva non esset: Sic & resuscitatio est rei mortuæ ad vitam revocatio, Cum antea vivere desiisset. Sic & regenerationis nomen resurrectioni aptatur, *Matth. 19. v. 28.* Et Christus primogenitus ex mortuis vocatur, *Colos. 1 v. 18. Apoc. 1. v. 5.* 2. *An per resurrectionem ex mortuis Christum filium Dei constitutum esse dicere liceat?* Sic censent *Photiniani, V. Socinum def. animadu. C. 8. aliosq.* Si constitui idem ac constitutum declarari, definiri, & ostendi notat, quomodo sæpè in sacris res fieri dicitur, quando manifestatur, omninò per resurrectionem potenter definitus est filius Dei, *Rom. 1. v. 4. Act. 13. v. 33* Si idem ac fieri vel esse nancisci, non per resurrectionem, sed generationem à Patre filius factus est. Proprius n. filius non aliundè, quàm per generationem fit, & propria filiatio semper generationem prærequirit. Christus autem proprius Dei Filius est, *Rom. 8. v. 32.* Et unigenitus à Patre, παρὰ πατρὸς, *Ioh. 1. v. 14.* Quomodo nemo in sacris vocatur, nisi qui esse per generationem à Patre habet. Hæreditas, dominium, exaltatio, glorificatio, Majestas, & similia aliundè esse possunt: Propria filiatio semper generationem ex eo, Cujus filius esse dicitur, præsupponit.

62. 2. *Quomodo & Cur Christus primitiæ resurgentium ex mortuis dicatur, 1. Cor. 15. v. 20?* Quia primus *propriâ virtute* ad vitam Spiritualem & cœlestem cum gloriâ immortalitatis resurrexit, & cœteris fidelibus causa resurrectionis extitit. Cum illi, qui ante illum in Vet. Testamento resurrexerunt, *alienâ Virtute* resurrexerint, ad vitam animalem & terrenam, si[ne] gloriâ immortalitatis, cum iterùm in hac vitâ ta[n]dem mortui sint, &c. 4. *Rectène piorum resurrectio ad vitam ex Christi resurrectione pendere dicatur, adeoq; benè ex hac ad illā concludatur?* Omninò, idq; ex 1. *Cor.* 15 *v.* 20. *seq.* apertè colligitur. De *piorum* n. resurrectione ibi agi contextus series & omnes ejus Circumstantiæ sufficienter docent. Vt pleniùs *alibi* traditur. Ut Adamus suis fons injustitiæ & mortis: Sic Christus suis justitiæ & resurrectionis. Et Christus perruptor ac victor mortis est, *Mich.* ... *Ose.* 13. Alios ergò ipsum in perrumpendo sequi, & sic ad vitam resurgere oportet. Ac si caput membrorum & rex noster resurrexit, & membra

ac subditos sequi eum oportet. Rom. 8. v. 11. Impiorum resurrectionem ex Christi resurrectione non pendere, sed justo Dei Judicio t. 33. dictum est. 5. *An ideò, quòd à mortuis resurgendo viam salutis nobis ostenderit Christus, servator noster dicendus sit?* Sic *Photiniani* volunt. *V. Socinum p. 1. d. servat. C. 4.* *Exclusivo* sensu id falsum, nam λύτρον, ἀντίλυτρον, mercationem, susceptionem, portationem, expiationem peccatorum Scriptura ipsi tribuit: Sano sensu concedi potest, nam Christus & ministerio, & exemplo, & pretio, donum nostrum est. *Ut alibi dicam* 6. *Quomodo Christus salvatus dici possit, Zach. 9. v. 9. Heb. 5. v. 7. Cum ipse Salvator aliorum esse debuerit? Vel* quia perfectio operis in operantem redundat, & salus hominum à Christo acquisita ipsa Dei salus, honor, & gloria est: *Vel* quia secundùm carnem infirmitati subjectus, à doloribus mortis solutus, & vitæ restitutus est. *Act. 2. v. 24.* Et quotidie adhuc in membris suis & fidelibus spiritualiter salvatur, ne inter tot hostium furores regnum ejus intereat. Ac quia nos salvare ex omni miseriâ debuit, convenienter ipsum priùs ex variis miseriis salvari oportuit, ut cœteris & causa, & exemplum salvandi eò illustrius esse posset. *Esai. 63. v. 5. Hebr. 5. v. 9.*

63. Sic & *Consequentia Remotiora Notionalia*, adeoq; vera omnia fuere: Seqvuntur *apparentia*, quæ cum non reverâ consequantur, à Nonnullis tamen consequi existimantur. Talia sunt. 1. *Cathedra Petri* Romæ à Petro post resurrectionem constitutio, quam an. Chri. 45. factam putat *Baronius sub an. 45.* Totum hoc commentitium esse, nec Petrum unquàm Episcopum Romanum fuisse, ibiq; præsedisse, nec cathedram ullam, cui ordinarie succederetur, ibi erexisse, fuse ab aliis demonstratum est, Ut *Barclaio, Vedelio l. de tempore Epis. Petri, Chamiero, Mertono, Casaubono, Veleno, Aventino, Franco, Molinæo, Nigrino, aliisq. Conf. t. 52.* 2. *Solis in festo Paschatis cum tripudio & subsultatione exortus ac apparitio.* Ita enim vulgus censet, ex antiquo hymno, in quo omnia ad Christi resurrectionem exultare, & solem ipsum subsilire *Poeticè* dicitur? *Scaliger* è Rhodiensibus se audivisse scribit, in natalibus Joannis Baptistæ solem exoriri solitum exultantem, & quasi cum tripudio, *ex. 63. s. 1. Et* hoc commentitium esse Solis natura, ac æquabilis ejus motus & cursus docet, qui semper uniformis, nunquàm à seipso devius, aut tripudio intermistus. *Si* cum tripudio oriatur, cur non saltum per integrum diem continuaret? *Imò* continuare necessum esset, cum per totum diem aliis citiùs, aliis tardiùs oriatur. *Deinde* si subsiliens oriatur, etiam in umbrâ styli solaris aut ædificii & arboris motus ille obseruaretur, Cum vmbram motum sui opaci & luminosi sequi oporteat, ut in *Opticis* docetur. Quorum nihil tamen observatur. *Vapores* è terrâ inprimis verno tempore copiose prodeuntes, aëri intermisti, ac inter solem & visum nostrum interjecti, causa esse possunt, ut tremulare Sol ac cum tripudio velut oriri videatur. Refractiones etiam multum hic facere possunt, ut de sole, Venere, Hespero, aliisq; *in Opticis & Astronomicis* docetur. *V. Plin. l. 2. C. 13. VVilhelm. Hass. Lantgrav. p. 22. Epist. Astronom. Tychonem*, aliosq;. Hæc de *PASCHALIBUS Salvatoris nostri* in honorem & gloriam *resuscitati Christi* hac vice disceptata sufficiant.